M. v. O.
Hist.
O. 170.
Thur. o. 21.

L. G. Eckardt
1842

Der Autor Schoetgen ist Rector an der
Creutz-Schule in Dresden gewesen hat sich um
die Sächsischen Geschichten besonders verdient ge-
macht. † 16. Decbr. 1751 in Dresden am Schlag-
fluss.

CHRISTIANI SCHOETTGENII
OPVSCVLA MINORA
HISTORIAM SAXONICAM
ILLVSTRANTIA,
QVORVM PARS E SCHEDIS B. AVCTORIS NVNC PRIMVM PRODIT.

COLLEGIT,
ANNOTATIONIBVS ET ADDITAMENTIS QVIBVSDAM DIPLOMATICIS
INSTRVXIT
GODOFR. IMMANVEL GRVNDIG.

H.F.E.v.G.

LIPSIAE
APVD IO. FRID. LANGENHEMIVM.
A. MDCCLXVII.

Staats-
Bibliothek
Bamberg

PERILLVSTRI

ATQVE

GENEROSISSIMO

IOANNI AVGVSTO

DE PONICAV

SERENISS. ELECTOR. SAXON.

A CONSIL. BELLI SANCTIORIBVS.

VIRO

GENTIS DIGNITATISQVE SPLENDORE,

DOCTRINAE COPIA,

IN BONAS LITERAS AMORE,

EXCELLENTISSIMO

D.

EDITOR.

Cuius parandae TV, VIR PERILLVSTRIS ATQVE GENERO-SISSIME, praecipuus mihi auctor ſuaſorque fuiſti, TE adit haec opu-

ſculorum Schoettgenianorum editio, TVOque ſplendidiſſimo vult dicari nomini, cum nullo alio magis ornari poſſit. Non mihi ſumo, quanquam hic forſan eſſet locus, inter caeteras quibus polles virtutes, TVVM depraedicare amorem in omnes bonas literas, maxime vero in Hiſtoriam Patriae, TVVMque in omnes illos, qui huius augmento explicationique intendunt, ſingularem fauorem, id enim vetat ſumma quae in TE eſt modeſtia, quae omnes iure quidem TIBI tributas laudes auertit. Sed TIBI reddenda eſt ratio, quo conſilio in colligendis,

ligendis, hocque vno volumine edendis Commentationibus his Schoettgenianis me geſſerim. TE, VIR PERILLVSTRIS, nemo melius cognoſcit, quae ſint B. Schoettgenii in Hiſtoriam Saxonicam merita, quantumque in ea emendanda, illuſtranda et augenda conſumſerit temporis et laboris. Teſtantur hocce varii quos emiſit huius argumenti libri, pluraque ſcripta minora, teſtatur non paruus numerus voluminum, quae ſuperſunt ab eo elaboratorum, ſed per triſte fatum hucuſque nondum euulgatorum. Atque etiam ego, bene intelligens

magnum vſum minorum B. huius Viri diſſertationum, ad Hiſtoriam Saxonicam ſpectantium, quas edidit, cum munus ſcholaſticum, cui Dresdae plures per annos praefuit, publicum aliquod ſcriptum, programmata ſcholaſtica vulgo vocant, poſtularet, ſedulo eas collegi, animaduertensque has quoque, ſicut alias, quae ſimili occaſioni originem debent, commentatiunculas rareſcere, et a viris, quibus cognitio rerum patriarum curae eſt, anxie quaeri, pluriumque earum nec poſſe exempla obtineri, ſtatim apud me conſtitui, eas iterum typis

com-

committere. Cumque eas hoc consilio perlegerem, et varios, qui inter typographorum manus irrepserunt errores, emendarem, in animum venerunt quaedam, quae non inutiliter addenda censebam, atque hinc ortae sunt variae quas adieci annotationes obseruationesque diplomaticae. Sed quod magis est, TV, VIR PERILLVSTRIS, singulari hoc institutum adiutus es fauore, atque beneuole annuisti mihi petenti, vt liceat huic collectioni inserere nondum editam B. Auctoris dissertationem, de fraudibus diplomaticis in literis Henrici Illu-

ſtris deprenſis, cuius autographum Bibliotheca TVA, locupletiſſimum Hiſtoriae Patriae gazophylacium, inter plura cimelia aſſeruat, ſicque haec, quae diu latuit, nunc vero promulgata, TIBI debetur commentatio. Nec eſt quod ſilentio praeteream, BOEHMII, *Viri Illuſtris atque Doctiſſ. quo ſibi vindicato Muſae Lipſienſes gaudent, quemque et TV, VIR PERILLVSTRIS, TEcum amicitia iunxiſti, beneuolum erga hanc meam qualemcunque operam animum. Is enim mihi eundem in vſum conceſſit, non ſolum genuinum Schoett-*

genianae

genianae commentationis de Burggrauiis Numburgensibus exemplum ipsa Auctoris manu scriptum, multo locupletius et accuratius eo, cui quidam Hammerus non satis aptum titulum, suumque mendax praefixit nomen, sed etiam autographa ineditarum vsque huc dissertatiuncularum de Burggrauiis Witinensibus et Golsinensibus. His itaque adiumentis instructam, nunc publicae luci dare me posse hanc collectionem, mihi persuadeo, fretus TVO *praesertim,* VIR PERILLVSTRIS, *aliorum deinde, quorum magni facienda*

est

est mihi sententia, beneuolo assensu. Fauens excipias, VIR PERILLVSTRIS atque GENEROSISSIME, hocce, quod TIBI offerre audeo, meae in TE obseruantiae documentum, sicque vale, TVVMque in me benignum conserua animum. Dabam Dresdae, pridie Kalendar. Septembr. A. Aer. Chr. cIↄ Iↄcc LXVI.

INDEX.

INDEX.

I. *De Luitgardis vxoris Conradi M. Marchionis Miſnenſis origine ſueuica diſquiſitio.* Ao. 1740. ſcripta.

II. *De Prudentia Henrici Illuſtris Marchionis Miſnenſis tempore Interregni diſſertatio.* Ao. 1741.

III. *Diſſertatio de fraudibus diplomaticis in chartis Henrici Illuſtris et aeui ſequentis commiſſis, qua occaſione ſimul in diploma controuerſum Ai. 1230. inquiritur.*

Scripta Ao. 1736. ad *C. S. Liebium*, Gothanum, nondum typis expreſſa, diplomate Ai. 1227. fraudis etiam ſuſpecto adaucta.

IV. *Analecta de Burgwardiis Saxonicis*, tribus partibus Ais. 1747. 1748. et 1750. in lucem edita.

V. *Historia Burggrauiorum Dohnensium* Partibus V. Ais. 1744. 1745. 1746. conscripta, diplomate Burggrauiorum Dohnensium inedito, Ai. 1387. eorumque sigillis aere sculptis, illustrata.

VI. *Notitia Burggrauiorum Altenburgensium.* Ais. 1738. 1739.

VII. *De Sizzone Comite Keuernburgico eiusque maioribus Commentationes III.* Ao. 1736. 1737. scriptae in duas contractae.

VIII. *Historia terrae Plisnensis.* Ao. 1739.

IX. *Analecta quaedam Portensia.* Ao. 1743.

X. *De antiquissimis litterarum in terris superioris Saxoniae fatis dissertatio.* Ao. 1748.

XI. *Dissertatio de Nicolao Episcopo Constantianensi Dresdae sepulto.*
Ao. 1741. typis mandata, delineatione

Epita-

Epitaphii Nicolai Epiſcopi Conſtantianenſis, aeri inciſa, illuſtrata.

XII. *Notitia ſcholae Dresdenſis ante tempora Reformationis.* Ao. 1742.

XIII. *Notitia Bibliothecae ſcholae Dresdenſis Crucianae.* Ao. 1743.

XIV. *Praetermiſſa quaedam de Conrado Kauffungio eiusque familia.* Ao. 1736. in lucem prolata.

XV. *Commentatio de vita Nicolai Marſchalci Thurii.* Ao. 1733. edita, poſtea Ao. 1752. Roſtochii c. annott. *Iohannis Philippi Schmidii* recuſa, e quibus, quae ad eam proprie pertinent, hic ſubiectae ſunt.

XVI. *Hiſtorie der Burggrafen zu Naumburg.* Procul omni dubio a B. *Schoettgenio* confecta, quanquam eam ſibi tribuere, atque ſub ſuo nomine Halae A. 1741. typis vulgare auſus ſit, quidem Iohann. Gottlob Hammer, ſub titulo Actorum publicorum Numburgenſium et Mansfeldenſium.

XVII. *Historische Nachricht von Rabenau*, quae Ao. 1740.

XVIII. *Leben des Andreas Proles*, quae Ao. 1734.

XIX. *Leben Ernst Brottuffs*, quae Ao. 1745.

XX. *Leben D. Wolffgang Eulenbecks*, quae Ao. 1740. primum prodierunt.

I.

De Luitgardis,
quae Conradi Magni, Marchionis Misnensis, vxor fuit, origine sueuica, disquisitio.

Magnum in historia Serenissimae domus Saxonicae nomen est CONRADVS, si ortum spectes, Comes Wettinensis, cuius terrae spatium duorum milliarium vix excedebant. Is vero in augmentum familiae suae diuinis auspiciis constitutus est. Ante Annum quippe 1116. *Comitatum Camburgensem* iam possederat, ab agnato Wilhelmo, Comite Camburgensi, haereditario iure acceptum, cui paullo post Dominium Torgauiense accedebat. Cum a. 1127. Henricus iunior, Marchio de Ilburg vulgo dictus, re ipsa vero Marchio Misnensis, fato suo fungeretur, non solum *Comitatus Ileburgensis*, sed ipsa quoque *Marchionis Misnensis* dignitas ad ipsum peruenit. A. 1136. post mortem Henrici, qui Wiperti, Comitis Groicensis, filius erat, *Marchionatus Lusatiae* cum *Comitatu Groicensi*, et terris

 variis

variis ad hunc pertinentibus, Conrado noſtro ceſſerunt. Sequebatur A. 1143. *Prouincia Rochlicenſis*, idque beneficio Conradi Imperatoris. *Comitatus Brenenſis* quoque ad ipſum ſpectauit, quem, vt ego quidem coniicio, a Comitibus Palatinis Goſecenſibus et Weiſſenburgenſibus nactus fuerat. Merito igitur MAGNI cognomen adeptus eſt, qui ex paruis initiis ad tantam potentiam excreuit.

Huius vitam ab aliquot iam annis magnó ſtudio elaboratam in ſcriniis meis ſeruo, [a]) ſic, vt ſimul in parte poſteriore, ſingula perſecutus ſim, quae ad pragmaticam, vt vulgo dicunt, illorum temporum notitiam ſpectant. Sed bibliopolae plerique non ſolent, in tanta ſcriptorum proletariorum turba, quod bonum et vtile eſt, eligere; verum potius, quod impetus quidam coecus luce dignum exiſtimat. [b])

Hic igitur Conradus coniugem habuit *Lucardim* vel *Luitgardem* quae praeſenti ſcriptiunculae materiam ſuppeditabit. Qui inde a temporibus reſtauratarum literarum hiſtoriam patriae noſtrae excoluerunt, hoc ſibi negotii datum eſſe crediderunt, vt quae ipſi

a) Prodiit illa poſtea, Dresd. et Lipſ. 1745. 8. additis Diplomatibus XXVI. vbi B. Auctor etiam varia de Lucardi ſeu Luitgardi noſtra p. 22. 52. de tempore mortis eius p. 62 ſqq. atque praecipue de gente Sueuica e qua orta fuit p. 84 ſq. diſſerit. *Editor.*

b) Atque hoc aduerſum tot bonorum librorum fatum, experta quoque ſunt B. Schoettgenii Hiſtoriarum Iuriſque publici Patriae, nonnullaque alia quae de vita Ottonis Diuitis March. Miſnenſ. Palatinatu Saxonico, Burggrauiatu Magdeburgico etc. confecit volumina, quae vſque in hunc diem MSS. tantummodo in perpaucis Hiſtoriae Saxonicae Bibliothecis adſeruantur et fere latent. *Edit.*

ipſi neſcirent, aut non ſatis certo ſcirent, ex ingenio ſupplerent. Idem fecerunt huic *Lucardi.* Scriptores antiquiores, quos euoluerant, in lucem vero dare non ſuſtinebant, teſtantur, eam ex Sueuia oriundam fuiſſe. Sic enim Appendix Chronici Montis Sereni: *Conradus accepit vxorem Lucardem filiam cuiusdam nobiliſſimi de Sueuia, nomine Alberti.* c) Non intellexerunt autem, quidnam per *virum nobilem* vel *nobiliſſimum* intelligendum eſſet. Poterant autem ex diplomatis cognoſcere, viros nobiles illis temporibus fuiſſe Comites. Igitur ſtatim ex Comite, *Ducem Sueuiae* fecerunt, quale quid commiſerunt Georgius Spalatinus, Wolfgangus Krauſius, Laurentius Fauſtus et alii: nomen vero omittunt. Laurentius Peckenſteinius ait, quosdam ſtatuere, hanc Luitgardem Friderici Barbaroſſae ex Beatrice Burgundica filiam eſſe. Sed is fidem omnem apud rerum peritos decoxit, et neminem ex noſtris oſtendere poterit, qui ante ipſum tale quid protulerit. Succedit Elias Reuſnerus, qui illam Friderici Ducis Hohenſtauffii filiam facit, quem ſequuntur Iſrael Clauderus et Georgius Paullus Hoennius, qui duo poſteriores patris nomen Alberti vel Friderici dubie poſuerunt. Nuper admodum Ioannes Georgius Eccardus ſcriptorem noſtrum claſſicum coniectura admodum, vt ſolet, audaci deſeruit, et Luitgardem noſtram ad ſtemma Habspurgicum refert, quamuis ipſe fatetur, monumenta Murenſia nihil, quod huc referendum ſit, habere.

c) Appendix citata p. 204. edit. Maderi, quam ſequuntur Annales Vetero-Cellenſes a Struuio editi p. 89. poſt a Schannato, Ludewigio et Menckenio repetiti.

Quum igitur in perquirendis Heroinae nostrae originibus non haberem, in quo pedem tuto figerem, bonis auibus peruoluo opus ingens Lünigianum, quod Archiuum Imperii inscripsit, ibique inter diplomata Monasterii Elchingensis, hoc etiam reperio, d) quod huc referri meretur:

Summo Sanctae Romanae Ecclesiae et Apostolicae sedis Pontifici, dignissimo quoque et vniuersalis Ecclesiae patri, Innocentio *videlicet seruo Dei,* Conradus, *vnus Dei gratia Principum* Saxoniae, *possessor et tutor* Myssinensis *Marchiae, vna cum coniuge sua* Luidgarde, *et dilectis filiis suis,* Ottone, Thieterico, Henrico, Dedone, *tantae dignitati debitam omnimodae subiectionis reuerentiam. Veteris et Noui Testamenti Patrum exemplis edocti, diuinis etiam et Apostolicis praeceptis informati, vere didicimus, et fideliter credimus, et fideles quoslibet oportere Deo ad ipsum promerendum deuotissimos existere, et nonsolum temporalia bona, verum et se ipsos debere sinceriter et iustissime ipsi ex toto offerre. Haec attendentes, ne coram Deo vacui penitus inueniremur, Ego C. Dei gratia Marchio cum coniuge mea L. et dilectis filiis nostris O. T. H. D. ad remedium animae nostrae et parentum nostrorum, Abbatiam in* Sueuia *super ripam* Danubii *sitam, in* Augustensi *Episcopatu, in praedio et haereditate nostra, et in loco, qui dicitur* Elchingen, *feliciter mutatam, quippe vbi Deo, suaeque matri Mariae semper virgini ibidem seruiatur, hunc, inquam, locum, et ipsam Abbatiam cum omnibus eidem pertinentibus, Deo suisque Sanctis Apostolis Petro et Paulo, et Romanae Sedi deuotissime et ad integrum offerimus, et omni iure abdicato*

d) Dipl. Tom. III. Spicileg. Eccles. p. 274.

cato in perpetuum ſubiiciens, hac quidem libertatis conditione, vti vnus ex hoc loco Romanae ſedi ſingulis annis ſoluatur aureus. Noſcat vero, venerande Pater, ſanctitas veſtra, qualiter in eodem loco tempore parentum vxoris meae, caſtrum fuerat pridem et Turris Babylonis *conſtructa, et quomodo locus ille ſitu ſuo conueniens ante videbatur mundanis illecebris, eo magis nunc ad laeſionem inibi Deò monaſtica vita ſeruientium, imo ad ſubuerſionem loci antiquus valde timetur hoſtis. Quapropter ſub teſtificatione Dei, Sanctorumque omnium, ſub obtentu quoque noſtrae deuotae ſeruitutis, Pater amande, ſanctitatis veſtrae diſcretionem ſuppliciter implorantes* [e]) *flagitamus, quatenus eiusdem loci, cum omnibus pertinentiis ſuis, donationem veſtra dignanter autoritas ſuſcipiat, et ita ſub chyrographo Apoſtolicae tuitionis et vinculo veſtri anathematis, beato Petro, et Romanae ſedi firmiſſime adſtringat, nec huic per vos ſic roboratae traditioni cuiusquam tyrannidis a modo temeraria poteſtas manus laeſionis imponere praeſumat. Oblata eſt autem Deo et beatis Apoſtolis ſuis Petro et Paulo huius donationis traditio tertio Calendas Martii, Dominicae Incarnationis Anno 1142. Indictione quinta, in loco qui dicitur* Brenn, Magdeburgenſi *Cathedrae* Conrado *Archi-Epiſcopo praeſidente, et* Conrado II. (*alias III.*) *regnante. Praeſentibus teſtibus plurimis et idoneis, velut maior pagina ad vos perlata plenius commemorat.*

Ex hoc monumento ſatis clare patet, patrem Luitgardis noſtrae poſſeſſiones et praedia habuiſſe, vbi nunc eſt Elchingenſe monaſterium. Quum autem vlterius perquirerem, et omnem lapidem mouere

e) Apud Lünigium legitur *imploramus.*

uere pergerem, frustra quidem aliquamdiu fui, tandem amicus quidam ex Bilderbeckio [f]) me monebat, fundatorem monasterii Elchingensis fuisse Comitem Rauensteinensem: Bruschius [g]) vocat Comitem de Rauenstein et Irtzenberg. Arcem priorem *Rauenstein* inclyta Respublica Vlmensis hodieque possidet, et in tabulis geographicis Sueuiae et terrarum Vlmensium occurrit. Mentio eius fit a. 1378. quo tempore turbulento Vlmenses incolis illius pecora abegerunt. [h]) A. 1472. Henricus (Hainz) de Zilnhard, Aduocatus Goeppingensis, eam arcem Ioanni Rechenbergio, qui in Hohen-Rechberg habitabat, vendidit, a cuius posteris demum ad Vlmenses peruenit.

Arx altera *Irzenberg*, fortasse hodie dicitur *Itzelberg*, quae in dominio Heidenheim, haud ita procul a Rauensteinensi arce dissito, adhuc superest: cuius telonium Comites Helffensteinii a. 1449. Vlmensibus vendiderunt. [i])

Ad monasterium Elchingense et fundationem illius quod adtinet, Felix Fabri et Bruschius (nam antiquiores scriptores hic nihil adferunt) Conradum Marchionem Misnensem illius fundatorem constituunt, dicentes, Conradum Saxoniae Ducem vna cum coniuge Lucia illud a. 1128. fundasse, Albertum vero Rauensteinii Comitem a. 1142. perfecisse. Quia

f) Bilderbecks Reichs-Staat Tom. II. p. 83. edit. prior.

g) Bruschii Chronologia monasteriorum p. 165.

h) Chronica zu Augspurg durch Philippen Vlhart 1542. 4. gedruckt, ad hunc annum.

i) Crusii Annales Sueuici Tom. II. p. 461. edit. Moseri.

Quia vero hoc ipſum diplomati quod a. 1142. datum, et modo prolatum eſt, repugnat, arbitror potius rem inuertendam, vt nimirum Albertus Comes primum fundationis initium a. 1128. fecerit, Conradus vero Marchio vna cum coniuge a. 1142. negotio huic colophonem impoſuerit.

De Alberto Comite Rauenſteinenſi, refutanda eſt narratio Bruſchii, qui eundem cum Conrado III. Imperatore ad terram ſanctam profectum, ibique monaſterium vouiſſe tradit. Falſus eſt hac in parte, dum contra ſeriem temporum peccat. Ex diplomate producto patet, Alberti prorſus nullam ibi mentionem fieri, ſed tantum generi Conradi, et filiae Luciae: ex quo illud conficitur, Albertum euntibus ordine fatis, iam tum mortuum fuiſſe. Quod ſi hoc verum, non potuit poſt mortem ad terram ſanctam peregrinari. Et vanum fuiſſet illud monaſterii aedificandi votum, quum peregrinatio a. 1147. ſuſciperetur, monaſterium vero iam a. 1142. ad finem perductum et Pontifici traditum fuiſſet.

Mater Luitgardis noſtrae, vt Bruſchius profert, fuiſſe creditur Bertha de Rauenſtein, Sanctorum numero adſcripta, eo quod anſeres niuales, vt vocant, ex tota illa prouincia Danubiana fugarit. De hac Bertha ſilent Sanctorum Hiſtorici, quos euoluere licuit. Adeſt quaedam Bertha Biburgenſis in Bauaria, de qua ex Ferrario, Raderi Bauaria ſancta, et Arturi Gynaeceo breuibus diſſerunt Acta S. S. Tomo II. Augusti p. 122. ſed illa vt ex Wiguleo Hundio patet, virgo permanſit, adeoque ab hac noſtra fuit plane diuerſa.

Vlterius in his pertingere non licuit, ſcriptoribus quippe illorum temporum claſſicis deſtituto. Qui

vero adſunt, nihil de his rebus memorant. Et deeſt ſane Sueuiae ſufficiens hiſtoriarum copia, regio in complures hodie particulas minores diſtracta: quae etiamſi hiſtoricos habet et diplomata, (vt ſane Epiſcopatus et monaſteria talibus inſtructa eſſe credibile eſt) tamen non facile in lucem proferuntur, metu quodam noſtros retrahente, ne quis illis documentis in fraudem edentium abutatur. Gaudent igitur hiſtoriarum cultores, quoties controuerſiae inter vicinos oriuntur. Tunc enim diplomata longo ſitu fere conſumta carceres mordent, vt deinceps viri docti eadem in vſus ſuos conuertere queant.

Si igitur apud Elchingenſes adeſſent alterae illae et maiores litterae, ad quas Conradus Marchio prouocat, vel etiam confirmatio Pontificis Romani, quam Felix Fabri habuit et excerpſit, tum fortaſſe plura in hanc rem poſſemus perſpicere. Vt enim nihil iam dicam de numero teſtium, qui Brenae in ipſa traditione praeſentes fuerunt, ex illis literis nomina villarum et praediorum monaſterio Elchingenſi conceſſa, nos docerent, quis proprie ille Alberti Rauenſteinenſis Comitatus fuerit: fortaſſe quaedam de ipſo Alberto et Bertha paterent, quae vlteriorem inquirendi anſam ſuppeditarent.

Haec vero diſquiſitio genealogica, quae nonnullis ſat exilis et otioſa videbitur, ad hiſtoriam tamen ciuilem illorum temporum, et praecipue ad interius pernoſcenda fata Vlmae noſtrae, multum omnino confert. Notum eſt, ciuitatem Vlmenſen, a Lothario Imperatore, quod partes aemuli eius, Conradi Sueuiae Ducis, foueret, funditus fuiſſe deſtructam, nec prius inſtaurari potuiſſe, quam cum poſt fata Lotharii Conradus ad Imperatoriam dignitatem adſpiraret.

ret. Quaenam eius rei caufa fuit? Nulla alia, quam, quod Elchinga, arx in monte fita, turrem altam et firmiffimam habens, quam *Babylonem* propterea vocabant, vxorio iure ad Conradum noftrum, Marchionem Mifnenfem, peruenerat. Hic equidem non frater erat Lotharii, quod Felix Fabri credidit, (vt neque Luitgardis foror Conradi Sueui) fed tamen aliqua cognatione, cum coniuge ipfius coniunctus, et ratione terrarum fuarum Mifnenfium et Wettinenfium habita ipfi vicinior, quam vt ab eius partibus impune potuiffet recedere. Ea igitur de caufa Elchingam quoque fuam Lothario aperuit, munimentum pro conditione illorum temporum infuperabile. Hinc Vlmenfes et tota vicinia hoftes habuerunt perpetuos, irruptionibus et depraedationibus fuis vbique moleftos, idque quamdiu Lotharius fuperftes fuit. Poft mortem vero illius, quum Conradus nofter folus nouo Imperatori refiftere haud valeret, aliam fibi viam ingrediendam putauit. Turpe fibi et moleftum effe credebat, munimentum Imperatori tradere, cui fe quidem fubiiciebat, fed non mente tam bona, vt arcem tam munitam volens ac lubens in manus illius concedere fuftineret. Coruos igitur hiantes delufit, et monafterii aedificandi confilium cepit, quo facto turris illa munita non in Imperatoris, fed Pontificis, poteftatem peruenit. Interea vero, dum turris deiicitur, locusque monafterio aptatur, vrbs Vlmenfis denuo reftaurata eft, quippe quae iam fecura incurfus vicinorum Babyloniorum non vltra metuebat. Vnica haec circumftantia attente confiderata, multum nobis prodeft, ad quam neque Felix Fabri, neque nuperus deftructionis et inftaurationis Vlmenfis fcriptor, fatis refpexerunt aut refpicere potuerunt.

II.

De Prudentia Henrici Illustris, Marchionis Misnensis, tempore Interregni exhibita.

§. 1.

Insignis historiarum dos est, quod exempla summorum virorum, in illustri loco posita, nobis ad imitandum proponunt. Qui igitur in lectione historicorum non perfunctorie, sed attente versatur, qui non corticem sed nucleum sectatur, is multa vtique, quae ad prudentiam ciuilem pertinent, addiscet, et in succum ac sanguinem conuertet, quae alius, experientiam solam in subsidium vocans, non tam accurate perspiciet. Quum enim vnius hominis aetas non sufficiat, vt omnia quisque sufficienter experiatur, quae ipsi sunt necessaria; et tamen multa quotidie peragenda sint: historiarum lectio diligens, quae cum meditatione pragmatica coniuncta est, experientiam illam supplebit. Sic igitur Historicorum euolutio non vni aetati prodest. Adolescentibus, vt memoriam cognitione rerum gestarum impleant et stilum simul poliant. Viris et senibus, vt ad prudentiam ciuilem magis acuantur.

§. 2.

Qui vero antiquissimis temporibus vixerunt, et nullos, quos legerent, auctores habuerunt, hi sane res suas vel perperam egerunt, vel omnes ingenii neruos intenderunt, vt aliquid laude dignum exsequerentur. Vtraque classis postea exemplo fuit, altera eorum, quae vitanda, altera, quae sequenda sint. Nos in patria nostra seculo post natum Christum

ſtum decimo tertio habuimus Henricum Illuſtrem, Marchionem Miſnenſem, et poſt Landgrauium Thuringiae. Is exempla quidem maiorum habebat, ſed non, prout par erat, hiſtoriarum monumentis ad omnem poſteritatem commendata. Quumque ſeculo barbaro, et a bonis literis minime illuſtrato, viueret, neque haberet, qui ſibi exempla Graecorum et Romanorum commendarent: ipſe ſibi exemplum fuit, ſemet ipſe finxit, ſe ipſum ſuperauit, exemplumque in illuſtri loco poſitum poſteritati commendauit. Non eſt inſtituti mei, ſingulas res ab illo et belli et pacis tempore praeclare geſtas multis exponere, quam ſpartam cum laude occupauit Celeb. noſter Hornius: ſed tantum tempori inſeruiens, de prudentia eius plane ſingulari, quam tempore interregni conſpiciendam praebuit paucula tangam.

§. 3.

Primum igitur, quod in ipſo admiramur, eſt, quod, quum aliquot adeſſent Imperii Candidati, qui ſectatores ſuos habuerunt, et quos hiſtorici vbique indicant, noſter nulli illorum ſeſe adiunxit, neminemque agnouit, niſi qui ab omnibus communi ſuffragio electus fuiſſet. Conſtat ex hiſtoriarum monumentis, ante tempora Bullae aureae longe plures, quam ſeptem, principes fuiſſe, qui electioni Imperatoris intereſſent, in quibus Marchionis Miſnenſis partes non exiguae fuerunt. Sic A. 1197. Theodericus noſter Philippo Imperatori ſuffragium ſuum dedit, [a]) vnde et nomen eius in numero eorum habetur,

a) Conradus Vrſpergenſis ad a. 1197. p. 254. *De Saxonia quidem habuit Ducem Bernhardum, Marchionem Miſnenſem, et alios principes ſeculares potentiſſimos.*

tur, qui de hac ipsa electione ad Pontificem Romanum literas dederunt. [b]) Quum autem postea dissidium inter hunc Philippum et Ottonem IV. oriretur, huius partes sequi maluit. [c]) Porro a. 1257. Landgrauius Thuringiae et Marchio Misnensis in numero illorum Principum recensentur, ad quos ius Imperatorem eligendi spectabat. [d]) Quamuis igitur Henricus noster hoc iure gauderet, nullius tamen illorum, qui a quibusdam tunc eligebantur, partes sectari, inde nec electioni cuiusquam interesse, voluit. Anceps enim malum oritur, quum nescias, vter ex duobus superior futurus sit. Se vero periculis committere, quorum euentus nos fugit, prudentis minime omnium habetur. Poterat autem noster ab his electionum comitiis commode abesse, neque praesentia eius a quoquam necessaria iudicata fuit. Hinc satius vtique iudicauit, ab omnibus comitiis et suffragandi iure abesse, quam se et terras suas fortunae lubricae casibus incertis exponere.

§. 4.

Alterum prudentiae specimen, ab Henrico Illustri ostensae, est, quod nemini ex illis Principibus, qui tempore interregni a quibusdam electi fuerant, se

b) Litterae Principum ad Innocentium III. Papam apud Odoricum Raynaldum ad a. 1201. n. 20. et in Registro Innocentii III. Tom. I. Baluziano p. 690. 715.

c) Arnoldus Lubecensis VII. 15. 3. *Prosequente vero* (electionem) *Bernhardo Duce, cum Marchione Misnensi et Landgrauio Thuringiae, et aliis, ad quos electio Regis pertinere videbatur.*

d) Matthaeus Paris. ad h. a. *Hi sunt maximi in Alemania, ad quorum nutum pendet electio ipsius regni.* — *Landgrauius Duringiae, Marchio Misiae.*

ſe tradidit, aut ab aliquo illorum pendere voluit. Nam et hoc periculoſum eſt, quum alter, cui quis adhaeſerat, victus eſt, iram victoris in ſe deriuare. Vicini noſtri ſub initium interregni plerumque partes Gulielmi, Hollandiae Comitis, ſectabantur. Sic Marchio Brandenburgenſis ab illo expectatiuam, quam vocant, hoc eſt, ius aliquando in ducatu Saxoniae ſuccedendi, neſcio quo iure extorſerat. [e]) Sangerhuſani, qui illo tempore ad nos non pertinebant, ab eodem hoc impetrarunt, vt domui hoſpitali decem manſos de bonis Imperii comparare et retinere liceret. [f]) Hermannus Comes Hennebergicus vectigal Brubacenſe ab ipſo conceſſum habuit. [g]) Haec facta ſunt anno ſtatim milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, et argumento ſunt, Guilielmum de alieno liberalem fuiſſe, et vitricum Imperii, vt aliquos Principes in partes ſuas pertraheret, eorumque fauorem aucuparetur. Anno ſequenti idem Guilielmus Brandenburgicis Serueſtam beneficii loco conceſſit, [h]) vrbisque Nordhuſanae priuilegia confirmauit. [i]) A. 1254. parthenoni Quedlinburgenſi tutelam

e) Diploma apud Ludewig. Reliq. II. p. 247. Lünigium in Corpore iuris feudalis germ. I. p. 611. Gruberum in ſilua Documentorum ad Chronicon Liuoniae p. 259.

f) Dipl. apud Tentzelium Suppl. II. Hiſtor. Gothan. p. 602.

g) Dipl. apud G. C. Ioannis Spicil. I. p. 457. Lünigium l. c. p. 579.

h) Dipl. apud Becmannum Hiſt. Anhalt. II. p. 249. Lünigium l. c. p. 614.

i) Dipl. in Anonymi Hiſtor. Nachrichten von Nordhauſen p. 208.

tutelam suam promtam ac paratam promittit. [k]) A. 1255. Molhusanis promittit, se nunquam concessurum, vt vrbs eorum vel venditionis, vel pignoris iure ad alios perueniat. [l]) Haec vicini. Noster autem ea erat potentia, vt de tutela Regis infirmioris, quique ipse precario quasi imperaret, circumspicere necesse non haberet. Postquam enim sub Ottone Diuite, auo ipsius, diuitiae montium Misnicorum iuxta Freibergam factae sunt conspicuae, ipse sufficienti ad se tuendum potentia instructus erat, vt pericula omnia a se propulsare, et terras suas a bellis priuatorum (diffidationes tunc vocabant) immunes praestare potuerit. Harum virium sibi conscius erat, hinc fluctibus incertis nauem suum committere nefas putauit.

§. 5.

Insigne est, quod sequitur. Illo tempore, duae domus illustres ruinam ita minabantur, vt stirps mascula post breue temporis spatium defectura videretur, noster vero iure haereditario terras earum acquirere posset. Altera erat *Austriaca*, Friderico, vltimo lineae Babenbergensis Duce, defuncto, cuius sororem Constantiam Henricus noster in matrimonio habuerat, et filios ex illa duos susceperat. Altera *Thuringica*, quam iure materno sperabat, a Caesare ipsi per inuestituram, quam *abusiuam* vocant, promissa

k) Dipl. apud Kettnerum Dipl. Quedlinburg. p. 220. Lünigium Archiu. Imper. Spicil. Eccles. Part. III. de Abbatissis p. 215.

l) Dipl. apud Londorpium Act. publ. XIII. p. 443. Lünigium Arch. Imp. part spec. Contin. IV. part. I. p. 1426. du Mont Corps diplomatique du Droit des gens Tom. I. Part. I. p. 201.

miſſa et conceſſa. Vterque, et Auſtriae Dux, et Thuringiae Landgrauius, eodem anno, ſcilicet quadrageſimo ſexto ſeculi, de quo ſermo eſt, mortem oppetiit. Hic igitur principis noſtri prudentia eluxit. Quid enim ageret? Auſtria erat remotior, quam regionem non niſi maximo ſumtu, multo milite, et pluribus aliis incommodis, conſeruare poterat. Accedebant inſidiae Bohemorum, qui legatos Ordinum Auſtriacorum ad Henricum noſtrum miſſos intercepерant, et regiones illas ſibi vindicauerant. Hinc igitur Auſtriam miſſam faciebat, poſteriſque ſuis ius illud tradebat, qui ſeculo ſequente aliquid conati ſunt, [m]) ſed nihil perfecerunt. Thuringia vero propior erat, regionibus ipſius contigua, quam ex proximo regere poterat. Hinc vires ſuas eo contulit, quamuis alteram eius partem, quae Haſſia erat, vt bello finem imponeret, Sophiae Brabantinae eiusque filio, Henrico infanti, permitteret. Satius igitur exiſtimauit, partem iuris ſui perſequi, quam ſe incertis fortunae fluctibus committere, quia caſus illorum temporum, vtpote ſatis perturbatorum, ne ſapientiſſimus quidem perſpicere poterat.

§. 6.

Quum igitur noſter Thuringiam obtinuiſſet, Archi-Epiſcopi Moguntinenſes, varia iura in illam regionem ſibi vindicantes, illum et Sophiam Brabantinam, imo et omnes per Thuringiam et Haſſiam vrbes et villas, interdicto eccleſiaſtico ſubiecerunt. Hic

m) Dipl. apud Ludewig. Reliq. V. p. 439. Hornium Henrico Illuſtri p. 62. Anonymum de ſucceſſione foeminea in regna et prouincias Auſtriacas (1733.) p. 11. 12.

Hic igitur noſter inſigne prudentiae ſuae documentum oſtendit. Notum ipſi erat, melius eſſe, clericos amicos, quam aduerſarios habere. Fortaſſe etiam vltra morem ſeculi ſapiebat, vt perſpectum haberet, nullum eſſe fulmen excommunicationis, quod Pontifices et Epiſcopi in Principes eorumque regiones ſaepenumero vibrare ſolent. Inde ſuas ipſis res habere permittebat, crabrones autem porro irritare inconſultum putabat: ipſe cum ſuis quiete cultui diuino vacauit. Quod ſi ad ſummum Pontificem prouocaſſet, aut Legatos Romam direxiſſet, vt de periculis itineris nihil dicam, multi ſumtus fruſtra impenſi fuiſſent. Tandem aduenit ad has terras Legatus Pontificis, qui, cauſſam diiudicans, noſtrum abſoluit, tela excommunicationis in Moguntinos vibrauit, adeoque noſter felicibus auſpiciis ex his aduerſitatibus eluctatus eſt.

§. 7.

Reliqua, quae ſuperſunt breuiſſimis tangemus. Rudolpho Habſpurgenſi Comiti, a Germaniae Principibus electo, noſter ſtatim adſurrexit, quia nunquam turbulenti animi princeps fuit, ſed artes pacis potius habuit in deliciis. Et Rudolphus ipſe de hac re valde laetatus eſt, vt in literis ad Veſentinos datis, haec inter alia ſcribere iuſſerit: *Vobis ad augmentum gaudii intimamus, quod Principatibus Miſnenſi, Orientali*, (h. e. Luſatiae) *et Thuringiae noſtro imperio triumphaliter applicatis, per quos potentia imperii noſcitur non modicum dilatata, in aliis Reipublicae negotiis perſequendis libere poterimus, annuente Domino, conuertere curas noſtras.* [n]) Ex quibus ſimul conſtat, quanta

n) Literae apud Chiffletium in Veſontione, citante Hornio p. 138.

quanta tunc Henrici noſtri in Germania fuerit auctoritas.

Tandem noſter per totum illud interregnum terras ſuas quietas conſeruauit, floremque earum ita quidem adauxit, vt neque eccleſia pro illorum temporum modulo, neque respublica ſub illo quicquam detrimenti ceperit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

III.

Diſſertatio de fraudibus diplomaticis, quae in chartis Henrici Illuſtris et aeui ſequentis commiſſae ſunt, qua occaſione ſimul in diploma controuerſum anni 1230. inquiritur. *)

Sectio I.

Detegens fraudes quasdam in litteris Henrici Illuſtris et aliorum illius aeui commiſſas.

§. 1.

Quod clerus pontificius inde ab illo tempore, quo Epiſcopus Romanus primatum affectare coepit, multas fraudes et artes adhibuerit, res tam clara eſt, vt apud eos, qui hodierno tempore hiſtoriarum ſtudia tractant,

*) Haec, quam Lectori Hiſtoriae patriae ſtudioſo, offerimus diſſertatio, deſumtam ex autographo B. Auctoris, quod nobis conceſſit Bibliotheca Saxonica locupletiſſima, pluribusque ſane cimeliis literariis inſtructa, *Viri Perilluſtris*, cuius beneuolentiam in nos, non niſi gratiſſima mente laudare poſſumus, nondum

tractant, dubia esse nequeat. Euoluantur scriptores qui de corrupto ecclesiae statu, de testibus veritatis ante reformationem Lutheri, de tyrannide et furore sedis romanae, de indulgentiis, aliisque huc pertinentibus, egerunt, tum satis magna earundem copia occurret. Imo, si quis historiam sacram et profanam sedulo peruoluat, quamuis omnia ista nondum a quoquam tacta sint, facili negotio et breui tempore, magnam talium farraginem consarcinabit.

§. 2.

Inter alia vero litteras et documenta publica, quae diplomata vocare solemus, aggressi, e re sua esse putarunt, si illa, vt Enniano verbo vtar, cauponarentur. Notissimum erat ipsis, instrumenta haec publica, si bona fide confecta essent, fidem omnem mereri. Hinc eadem in rem suam vertere non incommodum putarunt, praecipue quia sub sacrorum et religionis obtentu, se non male agere crediderunt. Praeterea Cancellarii, Protonotarii, Scribae, Notarii, vel quocunque nomine illi veniebant, qui de mandato principum has litteras curabant, clerici erant, quia, praeter illos, temporibus obscuris ac barbaris nemo legere aut literas pingere poterat. Ex quo illud consequitur, clericis neminem vel in aula, vel curiis et iudiciis carere potuisse, ipsosque quicquid libitum erat, peregisse. Magna hic auctorum multitudo rursum proferenda esset, si haec omnia con-

typis transscripta est, quamquam ea, quod ei praemissa ad *C. S. Liebium*, eruditum quondam vrbis Gothanae ornamentum, epistola, docet, (quam quidem ad rem nostram non spectantem, omisimus,) anno 1736. iamiam proelo parata fuerit, et huc vsque melioris sortis digna latuerit. *Editor*.

confirmare vellem. Euoluat autem lector praefationem cedro dignam, quam *Io. Petr. de Ludewig* Tomo I. Reliquiarum a ſe editarum, praemiſit, vbi exempla plura occurrunt, inter ipſos Imperii Romani ordines, diplomatum ſuppoſitorum cauſa ortas et diu ſatis tractatas fuiſſe controuerſias. Ex eadem patebit Hiſtoricos, Criticos, Iureconſultos et Philoſophos, in ea re occupatos fuiſſe, vt fraudes illas et technas accurate inueſtigarent.

§. 3.

Hiſtoriam Saxonicam ſi ſpectes, diplomata huiusmodi falſa et ſuppoſita plura reperies. *Hornius* noſter, farragini ſuae, quam *Bibliothecam manualem* vocat, obſeruationem de his inſeruit, doctam ſane et laborioſam. Plura adhuc addi poſſent, ſed non vacat iam libros multos euoluere, verum quia hucuſque literasque aliquot authenticas oculis vſurpare licuit, narrabo, quid ipſe oculis meis vidi, quaeque occaſione ſic ferente, non negligenda exiſtimaui.

§. 4.

Henricus, Marchio Miſnenſis, quem κατ' ἐξοχὴν *Illuſtrem* vocant, ſuo tempore non mediocriter inſignis erat, dignusque propterea, cuius res geſtas, *Hornius* modo laudatus, et poſt eum alii Viri Celeberrimi, quorum nomina inferius occurrent, partim attingerent, partim pluribus exponerent. Tantus vero princeps factus non fuiſſet Henricus, niſi clericos ad partes vocare, multisque beneficiis obruere didiciſſet. Diplomatum ab ipſo editorum magna eſt copia. Septuaginta collegit *Hornius*: poſt ipſum aequalis fere illorum numerus prodiit. Vidi et ipſe quaedam eius authographa, ſed omnium copiam nanciſci haud potui. Quid non in archiuis Principum

et ſcriniis priuatorum deliteſcet? Et tamen in tanto eorundem numero vix decem inuenies, quae res mere ciuiles aut politicas tractant, reliqua omnia vel ad monaſteria vel ad collegia canonicorum ſpectabant. Hac vero illius munificentia, nimium quantum abuſi ſunt viri illi ſancti et religioſi, quemadmodum iam exemplis comprobatum dabimus.

§. 5.

Primae litterae, quas producimus, ad monaſterium Veteris Cellae pertinent, cui Albertus Burggrauius de Dewin, molendina duo iuxta ciuitatem Grimam pro CCXLV. marcis vendidit, eadem vero prius Henrico Illuſtri Marchioni reſignauit, qui deinde ex poteſtate principali monaſterio illa propria tradidit. En tibi litteras:

In nomine ſanctæ et indiuidue Trinitatis. Heinricus *Dei gracia* Miſnenſis *et* Orientalis *Marchio*, *Vniverſis preſentem inſpecturis paginam*, *et hiis*, *qui nunc ſunt*, *et qui poſt nos futuri ſunt*, *cognitum eſſe volumus*, *qualiter* Albertus *burchravius de* Dewin *cum conſenſu heredum ſuorum*, *molendina duo*, *que iuxta civitatem* Grimmam *in littore* Mulde *fluminis*, *de manu noſtra habuit*, *fratribus de* Cella S. Marie, *pro ducentis quadraginta quinque marcis vendidit*, *ipſaque molendina cum omnibus ſuis appendiciis nobis reſignavit*, *nosque pro remedio anime noſtre*, *et pie memorie patris noſtri Marchionis* Theoderici *in manus* Abbatis Cellenſis, *ſolempni donatione contradidimus. Cui videlicet reſignationi hoc adicimus*, *quod idem prefectus eciam exactioni cuiusdam molendini*, *quod in ſuperiori parte prefate civitatis aliquando habuerat*, *ex toto renunciavit. Ne quis autem auſu temerario contra hoc factum vnquam venire preſumat*, *per ſigilli noſtri appoſicionem*

et

et per idoneorum virorum atteſtationem firmiter prohibemus, et bona ipſa Celle S. Marie *perpetua ſtabilitate confirmamus. Teſtium autem iſta ſunt nomina.* Heidenricus *prepoſitus maior in* Miſna, Heinricus *de* Chorum, Vlricus *et* Johannes *fratres de* Pach, Erkenbertus *prefectus de* Starkenberg, Otto *de* Ilburg, Heinricus *Marſchalcus et* Conradus *Camerarius*, Heinricus *dapifer*, Cunradus *de* Bichene *et* Bertholdus *familiares noſtri*, Johannes Prior Cellenſis *et* Albertus *cellarius, et* Albertus *monachus, quondam Abbas in* Doberlu, *et alii quam plures. Acta ſunt hec in* Cella S. Marie, *anno ab incarnacione Domini M. CC. XXXI. Indictione III. III. Nonas Octobr. ſub* Ludegero *Abbate, feliciter. Amen.*

§. 6.

Earundem litterarum aliud adeſt exemplum, priori per omnia ſimile, niſi quod ante catalogum teſtium haec verba inſerta ſunt: *confirmamus atque donamus, cum omni gracia ac libertate, cum omni iure ac iurisdictione, iudiciis omnibus infimis ac ſupremis, quovis modo nominatis, ſicut ad nos pertinuerunt, vel ad ſucceſſores noſtros pertinere poſſent in futurum. Et ipſos fratres et predicta duo molendina exemptos eſſe volumus, et per preſentes eximimus* ab omni poteſtate et iudicio predicte civitatis. Sigillum huic alteri exemplo appenſum, longe recentius eſt, et cum illo, quod Henricus anno 1231. adhibere ſolitus eſt, plane non conuenit. Namque ab anno 1230. vſque ad annum quadrageſimum et vltra, eiusmodi ſigillo vſus, in quo conſpicitur eques, cuius ſcutum trabes Landsbergenſis oſtendit. Inſcriptio eſt: HEINRICVS: DI: GRA: MISNENSIS: ET: ORE: MARCHIO: cuius effigiem *Hornius* parte octaua

Bibliothecae manualis aeri incisam exhibet. Alteri vero exemplo et interpolato illud sigillum affixum est, in quo se Landgrauium Thuringiae et Comitem Palatinum Saxoniae vocat, quoque, quantum huc vsque constat, ante annum 1256. vsus non est. [a]) Hoc ipsum vero Spicilegio Chr. Sigism. *Liebii* quo Henricum Illustrem illustrauit, praefixum cernitur. Et hoc ipsum sigillum est, quod fraudem nobis, vna cum verbis modo adlatis, vindicauit.

§. 7.

Ex iis autem, quae huc vsque prolata sunt, facile constat, quid de vtroque exemplari sentiendum sit. De priori, non est quod dubitemus: authenticum est, in cuius fide nihil desideres. Posterius vero mala fide confectum est, et quidem hoc modo. Cum iurisdictionem superiorem et inferiorem, nec non alia quaedam sibi vindicare vellent, iure autem non possent, litteras denuo describi, et quae e re ipsorum erant inferciri iusserunt. Exemplar prius litteris maiusculis et oblongis scriptum erat, vti mos illorum temporum ferebat. Posterius minusculis et ita comparatis, vt si vtrumque conferas, verba illorum aequale spatium impleant. Has litteras ad Cancellarias pertulerunt, causas fortasse inserentes, necesse nonnunquam esse, vt litterae authenticae alio mittantur, quo facto illas facile perire posse. Rogare igitur, vt hoc exemplum simili modo descriptum sigillo adpenso Notarius Principis confirmet. Hic igitur siue apographum cum authentico contulit, siue minus: siue fraudis conscius fuit, siue minus, has tamen litteras sigillo appenso

a) *Gudeni* Sylloge Diplomat. p. 312.

appenſo confirmauit. Nemo autem cogitauit, fore, vt hoc ipſum ſigillum fraudem indicet.

§. 8.

Eandem fabulam luſerunt in geminis litteris eiusdem Henrici, a. 1241. datis, in quibus eccleſiam parochialem Grimmenſem et Pardenſem domui Hoſpitali Grimmenſi conceſſit. Vtrarumque exemplar geminum vidi, vtrumque authenticum erat, ſigillis veris obſignatum, ſic, vt niſi quis vtrumque exemplar ſimul habuiſſet, fraus nemini ſubolere potuiſſet. Illa tamen manifeſta eſt, quod collatio docet. Nos autem immutationes et interpolationes alterius exemplaris annotationum loco ſubiiciamus.

I.

In nomine ſancte et individue Trinitatis. Heinricus *Dei gracia* Myſnenſis *et* Orientalis *Marchio, omnibus in perpetuum. Ad hoc divino favore ad principatus culmen nos credimus ſublimatos, vt loca divino cultui mancipata liberalitate principali promovere ſtudeamus. Ad notitiam igitur tam preſencium quam futurorum pervenire cupimus, quod* b) *ex conſulta deliberacione hoſpitali in* Grimmis, *ob remiſſionem peccaminum noſtrorum, nec non et parentum noſtrorum,* c) *parochiam nominate civitatis, cum omnibus ſuis attinenciis, et cum omni iure quod in ea habuimus, vel habere potuimus, tradidimus liberaliter in perpetuum poſſidendam Inſuper conferimus* d) *memorato hoſpitali ad decem talenta*

b) Alterum exemplar habet, *quod nos.*

c) Haec verba, *nec non et parentum noſtrorum*, omittuntur.

d) Alt. ex. *Inſuper ſtatuimus, vt quicunque fuerit divina inſpiratus gracia, ſi voluerit aſſignare predicto hoſpitali, de bonis a nobis habitis, ſive ſit ille vel ille, nobis per-*

lenta annuatim de bonis a nobis habitis, ſi ea ſibi collata fuerint, vel etiam ſi iuſto emptionis titulo ea comparaverit. Preterea libere conferimus in omnibus noſtris montanis iam dicto hoſpitali metallum, quod invenitur inter terram et quod dicitur erzc, *quod in vulgari* berch *nominatur. Item liberaliter aſſignavimus prefato hoſpitali pomerium, quod eſt ante dictam civitatem* Grimmis *apud ſtratam, qua itur* Lipz, *ad ſiniſtram manum, et omnia* e) *que ſunt inter lapidem illum et foſſatum civitatis vſque ad* Moldam. *Inſuper ſtatuimus, quod nullus* f) *audeat mutare facta noſtra predicta, ſed tantummodo ad vſus pauperum hoſpitalis poſt mortem* Meineri *ſacerdotis redeant* g) *abſolute.* h) *Vt igitur ſtabilis ſit et firmus huius per omnia tenor noſtre donacionis, nec alicuius pravi ingenio ſeu induſtria minui poſſit vel mutari, preſentem paginam inde conſcriptam ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri, teſtibus idoneis ſubnotatis, quorum iſta ſunt nomina: Theodericus ſummus Prepoſitus* Nuenburgenſis, Heinricus

permittente, liberam habeat voluntatem, vel *etiam, que ipſum hoſpitale iuſto empcionis titulo comparaverit. Et hec donacio ſummam decem marcarum non excedat. Preterea conferimus* etc.

e) Alt. exempl. addit, *in ea.*

f) Additur ſimiliter, *in poſterum.*

g) Pro *redeant* legitur, *revertantur.*

h) Sequentia inſeruntur: *Et quoniam ea ſolum poſt decurſum huius vite nobis ſuffragari ſperamus, que pauperum Chriſti vtilitatibus et cultibus divinis indulgemus, neceſſe eſt, vt, ſi quid boni fecimus, ſtudioſe caveamus, ne pravi cuiusquam ingenio minui valeat vel mutari. Quapropter ad noſtre donacionis huius robur in perpetuum valiture preſentem paginam inde conſcriptam ſepe dicto hoſpitali porreximus ad tutelam, teſtibus ydoneis* etc.

ricus *summus prepositus* Mysnensis, Meinerus *burggravius* Mysnensis, Albero *burggravius de* Lyznik, Hermannus *de* Lödeburch, Vlricus de Pak, Heinricus *Marschalcus et* Cunradus *camerarius fratres de* Gnannenstein, Wiricus *de* Kirchberc, *et alii quam plures. Acta vero sunt hec anno Dominice incarnacionis* i) *M. CC. XLI. Indictione XIIII. pridie Kal. Iulii.*

II.

In nomine etc. Heinricus *Dei gracia etc. Ad hoc divina etc.* k) *Igitur ad notitiam tam presencium quam futurorum cupimus pervenire, quod nos ex deliberacione consulta, hospitali in* Grimmis, *ob remissionem peccaminum nostrorum,* l) *parrochiam in* Parde, *cum filiabus et omnibus attinenciis earum, et cum omni iure, quod in eis habuimus,* m) *tradidimus cum effectu* n) *Volentes* o) *vt idem hospitale omnia supra dicta debeat quiete et libere in perpetuum possidere. Insuper concedimus, vt, quicunque predicto hospitali de bonis a nobis habitis aliquid* p) *voluerint assignare, aut si ea iusto empcionis titulo voluerint comparare, de nostro consensu* q) *liberam habeant facultatem. Hec siquidem donacio summam decem marcarum non excedet. Preterea libere conferimus in omnibus nostris montanis iam dicto hospitali metallum quod invenitur intra terram,*

i) Aliud exempl. *anno gracie.*
k) Haec singula, vt in superiori.
l) Addit alt. ex. *nec non et parentum nostrorum.*
m) Add. *vel habere potuimus.*
n) Add. *liberaliter in perpetuum possidendas.*
o) Tota haec periodus abest.
p) Vox *aliquid* abest.
q) Aliud exempl. *nobis permittente.*

ram, quod Berch *wlgariter nominatur,* [r]) *Item liberaliter assignamus iam dicto* [s]) *hospitali pomerium quod est ante civitatem* Grimmis, *apud stratam qua itur* Lipzc, *in sinistro latere, et omnia ea, que sunt inter lapidem illum* [t]) *et fossatum civitatis vsque ad* Muldam, *et etiam* [u]) *ius piscandi ibidem in fossato proximo vsque ad* Muldam. *Insuper statuimus quod nullus in posterum audeat mutare facta nostra predicta, sed tantummodo ad vsus pauperum hospitalis post mortem* Meinheri *sacerdotis convertantur* [x]) *supra dicta omnia absolute.* [y]) *Vt igitur firmus et stabilis sit huius per omnia tenor facti, presentem paginam inde conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari.* [z]) *Acta sunt hec anno gracie M. CC. XLI. pridie Kal. Iul. Indict. XIIII. Huius rei testes sunt* Theodericus *summus prepositus* Nuenburgensis, Heinricus *maior prepositus* Misnensis, Albero *Burchravius de* Liznik, Hermannus de Lobdeberc, Vlricus de Pac, Heinricus *marscal-*

r) Alt. exempl. sic: *et quod dicitur erzc, quod in vulgari berch nominatur.*

s) Alt. ex. *memorato.*

t) Idem: *rupem illam.*

u) Haec verba absunt, ab: *et etiam* – – *Muldam.*

x) Alt. ex. *sacerdotis transeant absolute.* Reliqua desunt.

y) Alt. ex. sequentia inserit: *Statuimus interea, quatinus arbitrio venerabilium de Cella et Buch abbatum, et quatuor civium de Grimmis, quos dicti Abbates voluerint, provisor hospitalis, si reprehensibilis et distractor bonorum, et minus expediens hospitali repertus fuerit, testimonio predictorum, absque contradictione aliqua deponatur et alter qui hospitali conveniat, eorum examine substituatur.*

z) Alt. ex. addit: *testibus idoneis subnotatis,* quorum *ista sunt nomina.*

marſcalcus et Conradus *Camerarius fratres, et* Heinricus *iunior Camerarius de* Gnannenſtein, Wiricus *de* Kirchberc *et alii quam plures.* [a])

§. 9.

Commodum quod ex gemino harum litterarum exemplo hauſerunt, vel certe ſperarunt, vnicuique ſtatim occurrit. Μορμωλυκειον aliquod ſacrum poſteritati proponunt, ne quid in talibus mutare vel conuellare audeat: quaedam etiam inſeruerunt, quae huic fundationi conducebant.

§. 10.

Hic Lector aegre ferre nolit, quod diploma iam impreſſum [b]) inſerere audeam. Illud ideo fit, vt immutationes in eo ſuſceptas eo facilius in oculos incurrant. Agit illud de monaſterio Dobirlucenſi, cui Henricus Illuſtris partem tertiam Aduocatiae in quaedam illius bona largitus eſt.

In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis. Heinricus Dei gracia Miſnenſis et Orientalis Marchio. *Cum ea quae* [c]) *ex ordinacione mortalium procedunt, proceſſu temporis a memoria tolli poſſint hominum, neceſſe eſt ſcriptis commendari et honeſtorum virorum teſtimonio*

a) In alt. ex. nomina teſtium praecedunt, verba vero: *Acta ſunt* etc. vltimo loco exhibentur.

b) *Ludewig* Reliqu. I. p. 51. 48.

c) Exordium in altero exemplari ſic habet: *quoniam mortalium equa eſt condicio, hoc eſt, in lege mortis non plus diviti parcitur, quam pauperi, nec vera ſunt hominis bona, quæ ſecum auferre non poteſt, ideo nos, qui pre ceteris temporalium benedictionem a Deo accepimus, ſtudio miſericordie invigilare debemus, quae ſola comes fidelis eſt defunctorum. Ea propter notum facimus tam preſentibus quam futuris Chriſti fidelibus univerſis, quod nos etc.*

ſtimonio comprobari. Noverint igitur omnes preſentem notulam inſpecturi, quod nos ad inſtanciam precum venerabilis abbatis Bertoldi *de* Dobirlug, *et diuine remuneracionis* [d]) *intuitu, nec non pro remedio anime patris noſtri Th. felicis memorie Marchion.* Miſnenſis *et* Orientalis, *de conſenſu coheredis noſtri comitis* de Bren, *tertiam partem aduocacie, que ad nos ſpectabat,* [e]) *omnium bonorum, de omnibus villis,* [f]) *quas ſupra dictum cenobium poſſidet, in preſenti iure* [g]) *perpetuo duximus conferendam. Sunt autem* [h]) *nomina villarum:* Kirchhain, Wediroldishain, Frankenowe, Heinrichſtorf, Monchehus, Eychholz, Lug, Fiſchwazzir, Rikirſtorf, Fredrichſtorf, Grunnow, Lyndenow, Schonenborn, Schulz, Bognitz, [i]) *XII. manſi in* Cucuxdorf [k]) *Wyſitz,* [l]) *ſex manſi in* Monchiſtorf, *VI. manſi in* Altena. *Et ne aliquis* [m]) *impoſterum*

d) Alterum exemplar: *ad placandam nobis ſupremi iudicis ſeveritatem et in anime noſtre ac coniugis noſtre ſalutem, nec non pro remedio anime patris noſtri Th. et omnium progenitorum noſtrorum, de conſenſu coheredis noſtri Theoderici Comitis de Bren etc.*

e) Alterum exempl. addit: *omni iure et libertate.*

f) Alterum exemplar, loco: *de omnibus villis*, habet: *nec non villarum.*

g) Haec tria verba abſunt ab altero exemplari.

h) Alt. ex. inſerit vocem *haec.*

i) Alt. ex. inſerit: *Kemenitz, Windiſchemarke, Valkenberg.*

k) Alt. exempl. inſerit: *in Coſtendorf. III. manſi et dimidius et tria iugera.*

l) Alt. ex. ſic tranſponit: *in Monchiſtorf. VI. manſi, in Altena VII. manſi, Wyſitz allodium.*

m) Formula alter. ex. haec eſt: *Ut igitur hec noſtra devota donacio prefate eccleſie de Dobirlug rata permaneat et inconvulſa, ſigilli noſtri, et predicti coheredis noſtri*

rum huic donacioni ausu temerario valeat obviare, presentem super ea notulam conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Huius testes sunt Bertoldus *abbas*, Henricus *prior*, Henricus, *fratres eiusdem loci*, Martinus *prepositus de* Mulberg, *Laici*, [n]) Albertus *burgravius de* Dewyn, Otto *advocatus de* Ilburg, Johannes *et* Vlricus *fratres* de Pak, Fridericus de Turgow, Witigo *filius eius*, Volo de Turgow, Hildebrandus *de* Barut, Johannes *de* Rochelitz, Dypprandus de Zlaberndorf, Hartmannus *de* Valkenberg, Sifridus de Mulberg *et alii quam plures.* [o]) *Acta sunt autem hec anno dominice incarnacionis M. CC. XXXIV. datum* Torgow *X.* [p]) *Kl. Augusti.*

§. 11.

Causae huius tam sanctae fraudis erant sequentes. 1. quidem fingendum erat, Marchionem fuisse hominem tam religiosum, qui vanitatem rerum humanarum probe agnosceret, seque in conscientia obstrictum putaret, vt monasteriis quaedam traderet: quae res coram iudice ecclesiastico magnum sane pondus habebat. 2. Addendum fuit, ipsum sibi a Christo, iudice tam seuero, timuisse, ac proinde pro sua, suorumque salute promouenda, opus tam laudabile suscepisse. Palmarium vero erat 3. quod possessionem Aduocatiae villarum *Chemnitz*, *Windischemark* et *Falkenberg*, antiquiorem fecerunt, quam reuera mona-

nostri Th. comitis de Bren sigilli fecimus impressione insigniri, suppositis eciam testibus fide dignis quorum nomina sunt hec: Bertoldus etc.

n) Alt. exempl. *Nomina laicorum sunt hec.*

o) Nomina testium in altero exemplari alio ordine sunt disposita, quae vero sigillatim indicare nihil attinet.

p) Alt. exempl. XI. Kl. Aug.

monasterium eandem possedit. 4. Mansi tres cum dimidio, nec non tria iugera in *Costendorf* inserta sunt. 5. Loco sex mansorum in *Altena*, septem sunt positi. 6. Ad nomen villae *Wisitz*, additur vox *allodii*, vt eo aequiore titulo eam possidere viderentur. 7. *Theodericus Comes Brenensis* sigillum suum addidit, vt mendacium eo magis ornaretur. 8. Ordo testium mutatus fuit, vt fortasse quibusdam interea defunctis, superstites iisdem praeponerentur, quae res gratiam illorum monasterio auxit. 9. Denique et causa fortasse quaedam subest, quod exemplar alterum pridie diei veri confectum esse traditur.

§. 12.

Succedunt Diplomata gemina, quibus Henricus Illustris monasterio Buchensi, quod haud procul a Leisnicio dissitum est, villam quae *parua Witzen* dicitur propriam tradidit. Vtrumque exemplar vidi et contuli, variationes autem per modum annotationum subiiciam.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Amen. q) *Nos* Henricus r) *Dei gracia* Misnensis *et* Orientalis *Marchio, vniversis* s) *intuentibus presens scriptum Salutem*

q) Voces, *Amen* et *Nos* desunt in altero exemplari.

r) Alt. ex. *Heinricus.*

s) Alt. ex. hic valde differt: *omnibus in perpetuum. Ad hoc diuino favore ad principatus sublimitatem nos credimus esse promotos, vt loca divino cultui mancipata, principali liberalitate promoveamus, servorumque Dei vtilitatibus in subsidiis temporalibus subvenire studeamus. Noverint igitur vniversi, quibus presens pagina patebit, quod nos ob remissionem peccaminum nostrorum de consensu et libera donacione filiorum nostrorum dilectorum, videlicet Alberti Lantgravii Thuringorum et Theoderici Marchionis de Landesberch, villam quae etc.*

lutem in Domino. Cum nec multitudini rerum nec longitudini temporum memoria ſufficiens ſit humana, vt que vel multa ſunt, tenaciter apprehendat, vel que longeva ſunt, certa valeat retinere, datum eſt ei per graciam conditoris, vt inſufficiencia ipſius ammiculis adiuvetur, ne, quod fideliter ac vtiliter ad honorem agitur Jeſu Chriſti, nec non ſuſtentacionem eorum, qui ad divine contemplacionis arcana ſanctis deſideriis iugiter accenduntur, pereat, aut inutiliter evaneſcat. Notum eſſe volumus tam preſentibus quam futuris, quod cum ſuper pietatis operibus promovendis velimus ſemper eſſe benevoli ac intenti, villam, que dicitur parvum Wizen, [t]) *et tertiam partem Foreſti in* Wizen, *que bona* Boyzlaus de Wizen *a Burchgravio* Alberto [u]) de Liznik *iure tenuit Feodali, que bona reſignavit dicto Burchgravio idem miles,* [x]) *et que bona cum omnibus pertinentibus ad eadem, ad reſignacionem eiusdem Burchgravii libere et voluntarie nobis factam, in* [y]) *remiſſionem peccaminum noſtrorum et progenitorum noſtrorum, et ob reverenciam Jeſu Chriſti, eccleſie in* Buch, [z]) *et religioſis ibidem Deo iugiter famulantibus, qui ſe et ſua penitus abnegarunt, iure omni proprietatis contulimus in perpetuum poſſidenda, cunctis in evum temporibus inconcuſſe. Vt autem huiusmodi noſtra donacio* [a]) *ſtabilis maneat atque firma, in teſtimonium preſens ſcriptum dedimus ſuper eo, noſtri ſigilli munimine* [b]) *roboratum.*

Datum

t) Alt. ex. ſemper habet *Wiſchen.*
u) Alt. ex. *Alberone.*
x) Alt. ex. addit, *cum tribus filiis ſuis, que eciam bona etc.*
y) Haec verba vsque ad *Jeſu Chriſti*, deſunt.
z) Alt. ex. addit, *Cyſtercienſis ordinis.*
a) Alt. ex. addit, *et predictorum filiorum noſtrorum.*
b) Alt. ex. *noſtrorum ſigillorum muniminibus.*

Datum Suſeliz anno Domini M. CC. LXIIII. X. Klas Junii. c) *Huius rei teſtes ſunt* Albertus d) *Burchgravius de* Liznik, Johannes *Burchgravius de* Within, O. de Vizenberc, e) Volradus *et* Vlricus *fratres dicti* de Colditz f) *prepoſitus* Witego *de* Northuſen, Albertus *dapifer de* Burnis, Henricus *Camerarius* de Gnannenſtein, Arnoldus de Polſeniz, g) Conradus de Landesberc, Conradus de Luppe, Ottho de Pozoz h) *et alii quam plures.*

§. 13.

Quid hic fraudis commiſſum ſit, vnicuiuis facile patebit. 1. Exordium prolixius commutandum fuit cum breuiore, vt alia magis neceſſaria poſſent inferciri. 2. Nomina et ſigilla filiorum addenda fuerunt, vt poſt obitum parentis, res ex parte illorum ſine controuerſia eſſet. 3. Fraudem vero detegit Indictio, quam falſarius memoria lapſus VII. ſcripſit, cum ſextam ponere debuiſſet. Mendacem igitur oportebat eſſe memorem.

§. 14.

Nouum fraudis ſpecimen ſuppeditant litterae, quibus Henricus Illuſtris eidem monaſterio Buchenſi nauigium quo Albis ad Belgeram transuehitur, conceſſit:

In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis, Amen. Nos Henricus *Dei gracia*, Miſnenſis *et* Orientalis *Marchio, Vniverſis preſentem paginam inſpecturis ſalutem.*

c) Alt. ex. *VI. Idus Junii, Indictione VII.*
d) Alt. ex. *Albero.*
e) Alt. ex. *Meinberus de Vizenburhc.*
f) Alt. ex. *Choldiz.*
g) Alt. ex. *Polſniz.*
h) Alt. ex. *Poziz.*

lutem. Cum ex debilitate memorie condicionis humane, que labilis est, multi sepius ducantur in oblivionem pariter et errorem, que non fuerint scripti testimonio confirmata. Notum esse volumus vniversis, tam presentibus quam futuris, quod, cum super his omnibus promovendis, quæ ad honorem Dei, nec non sustentacionem religiosorum, qui sequentes ipsum, se et sua penitus abnegarunt, semper esse benevoli velimus pariter et intenti, principaliter ob reverentiam Jesu Christi, et ad instanciam Domini Bodonis *et* Ottonis *fratrum dictorum de* Ilburc, *Navigium in* antiquo Belgere *quod* vere *vulgariter appellatur,* [i]) *et iidem duo fratres a nobis iure tenuerunt feodali, recepta certa summa pecunie ab abbate et conventu de* Buch, *nobis libere resignarunt, dicte Ecclesie in* Buch *et religiosis ibidem Deo iugiter famulentibus, contulimus iure proprietatis cum omni vtilitate in perpetuum possidendam. Volentes vt dictum navigium* [k]) *apud ipsam Ecclesiam maneat perpetualiter libere et quiete, Nec ipsam in huiusmodi nostra donacione volumus ab aliquo impediri seu eciam perturbari. Vt autem hec nostra donacio stabilis permaneat atque firma, super eo in testimonium dedimus presens scriptum nostri sigilli municione roboratum. Datum* Libental, *anno Domini M. CC. LXIIII. Quinto decimo Kalendas Septembris. Huius rei testes sunt frater noster Comes* Hermannus de Henneberc, *Burchgravius* de Within *dictus* Johannes, *Burchgravius* Henricus de Dewin, Hermannus de Lobdeburch, *Prepositus* Witigo de Northusen *prothonotarius nostre curie,*

i) In altero Originali haec adduntur: *et duas capturas piscium ibidem in ipsa aqua consistentes que iidem duo etc.*
k) Ibidem haec inseruntur: *cum capturis piscium.*

curie, *Dapifer* Albertus de Burne, Henricus *Camerarius de* Gnannenſtein, Iohannes *et* Nicolaus *notarii noſtri*, *et alii quam plures*.

Facile hic apparet, piſcaturam inſertam eſſe, neque id ſine cauſa, quum tamen princeps eandem non conceſſiſſet.

§. 15.

Sequitur transactio inter monaſterium *Buchenſe* et plebanum ſiue Parochum *Belgerenſem* de praedio *Ammelgoswitz*:

Nos Witego Dei gracia Miſnenſis Epiſcopus, *notum eſſe volumus tam preſentibus*, *quam futuris*, *quod diſcordia*, *que inter venerabilem Abbatem et conventum de* Buch *ex parte vna*, *et dominum* Gozwinum *plebanum de* Belgern *ex parte altera vertebatur*, *ſuper grangia Amilgozewiz*, *et voluntate et permiſſione libera illuſtris principis* H. Miſnenſis *et* Orientalis *Marchionis taliter eſt ſopita*. *Dominus* H. *Abbas de* Buch, *qui nunc eſt*, *vel qui pro tempore fuerit*, G. *plebano de* Belgern, *vel qui pro tempore fuerit*, *dimidiam marcam argenti*, *Belgerenſis ponderis*, *et XV. modios ſiliginis*, *in craſtino beati Martini* Belgerenſis *menſure*, *annis ſingulis de eadem grangia dare debet*, *et familia predicte grangie ſepulturam habebit* Belgern, *et a plebano de* Belgern *recipiet in extremis omnia eccleſiaſtica ſacramenta*. *Si vero ex eadem familia ex teſtamento*, *legato*, *fideicommiſſo*, *aliquid Plebano in* Belgern *aſſignatum fuerit*, *vel ad altare oblatum in eccleſia* Belgern, *illud plebanus ſuis vſibus applicabit*. *Sed ſi quid in ipſa grangia oblatum fuerit in paſcha*, *vel aliis temporibus*, *magiſter predicte curie convertet ad ſue libitum voluntatis*. *Confeſſiones quoque in paſcha recipient et communicabunt familiam illi fratres*, *qui ad hoc a Domini*

Abba-

Abbatis providentia fuerint deputati, ſicut in omnibus aliis monaſterii grangiis facere conſueverunt. Ne autem predicta per calumpniam aut oblivionem poſtmodum valeant immutari, preſentem paginam deſuper dedimus conſcriptam, domini Marchionis ac noſtri ſigilli munimine roboratam. Teſtes huius rei ſunt Mgr. Theodericus *dictus* de Turgowe, *Mgr.* Johannes *curie noſtre notarius, Canonici* Miſnenſes, *Fr. Conradus cuſtos de ordine fratrum minorum,* Vlricus *plebanus de caſtro* Liznik, *et plures alii fide digni. Datum* Buch, *anno Domini M. CC. LXVIII. XVII. Kalendas Maji, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

§. 16.

Hae ipſae literae adhuc ſemel mihi viſae ſunt, eodem anno et die, iisdemque teſtibus datae, ab Epiſcopo ſolo profectae, ſic vt Marchionis nulla mentio fiat. Cauſa eius rei facillime cuiuis patet. Dilemma aliquod politicum hic obſeruaui. Aut enim hae litterae aliquando producendae fuerunt coram iudicio eccleſiaſtico, tum auctoritas Epiſcopi ſolius ſuffecit, et melius fuit, ſi litterae profanorum hominum iuribus non fuerunt contaminatae. Aut exhibendae fuerunt iudicio ſeculari, tum alteras produxerunt, his additis minis: Ecce duo gladii! Quis igitur tam bene armatis reſiſteret?

§. 17.

Quamuis de temporibus Henrici Illuſtris nullae amplius litterae ſuperſunt, quae fraudes huiusmodi nobis exhibent, riuos tamen claudere nolui, ſed quaedam etiam de ſequentibus temporibus, proferenda exiſtimaui, vnde conſtabit, monachos ſibi ſemper fuiſſe ſimiles. Theodericus iunior, Thuringiae Landgrauius, vulgo Ticemannum voçant, a. 1295. mo-

nasterio Dobrilucensi, lacus duos iuxta ciuitatem Lüberose sitas, dono dedit, de quo negotio geminae extant litterae: [1])

I.

In nomine Domini, Amen. Nos Theodericus *Dei gracia* Thuringie Landgrauius, Orientalis *et* Lusacie Marchio, *recognoscimus publice per presentes, quod de consensu dilecte coniugis nostre Jutte, et omnium, quorum consensus fuerit merito requirendus, pia moti intencione, duos lacus, sitos apud civitatem nostram* Luberose, *scilicet* Strus *et* Witsch *cum proprietate et omnibus pertinenciis et iuribus suis, domino* Hermanno *abbati et conventui in* Dobirlug, *pro remedio animae nostre et progenitorum nostrorum, contulimus libere et devote, ab ipsis et eorum successoribus iure proprietatis quiete perpetuo possidendos. Igitur in huius nostre donacionis evidens testimonium, et ne prefatus conventus pro eadem ab aliquo debeat in posterum molestiam sustinere, presentem litteram inde conscriptam sigilli nostri iussimus munimine roborari. Testes huius rei sunt* Fridehelmus de Kodebuz, Bernhardus de Strele, Vlricus *dictus* Schof, Henricus de Gnannsteyn, Heyso *dictus* Tzegenuras, *hospes noster in* Gubyn, *et alii quam plures fide digni. Datum anno dom. M. CC. nonagesimo V. XV. Kal. Octobr.*

II.

Theodericus *Dei gracia iunior* Thuringorum Lantgrauius *ac* Marchio Lusacie, *universis presentes litteras inspecturis salutem et omne bonum. Cum ea que fiunt in tempore, breviter labantur a memoria, nisi literarum testimonio perennentur, necesse est, ea scriptis*

1) *Ludewig* Relig. I. p. 162. 159.

ptis commendari, et proborum virorum teſtimonio comprobari. Ad noticiam igitur tam preſencium quam futurorum cupimus pervenire, quod precibus religioſorum virorum et in Chriſto nobis dilectorum, domini Hermanni, *abbatis, tociusque conventus fratrum in* Dobirlug, *ordinis Ciſtercienſis,* Miſnenſis *diоceſis, inclinati, moti multi modo caritatis et hoſpitalitatis affectu nobis pluries et omnibus tranſeuntibus indifferenter exhibito, aſſiduo et ſolemni divinorum officio, intuitu elemoſine, ob honorem Dei genetricis Marie, nec non pro remedio anime noſtre et dilecte coniugis noſtre, ac progenitorum noſtrorum, predicto domino abbati et fratribus in* Dobirlug *donavimus duo ſtagna circa* Luberoſe *que* Strupz *et* Witz *vulgariter nuncupantur, cum omni iure et utilitate ipſorum, proprietatis titulo, perpetuo poſſidenda. Ita quod nullus ſucceſſorum et heredum noſtrorum in predicta ſtagna proceſſu temporis aliquid iuris ſibi habeat vendicare. Vt autem hec noſtra donacio rata permaneat, et robur obtineat perpetue firmitatis, hanc paginam ſuper premiſſis confectam predicto domino abbati et conventui memorati monaſterii dari fecimus, in teſtimonium, ſigilli noſtri ſecreti, vna cum ſigilli dilecte coniugis noſtre* Jutte *predicte appenſionibus roboratum. Datum et actum in Gubyn, anno Domini M. CC. XCV. in die ſancte Marie Magdalene, preſentibus hys teſtibus:* Vlrico Schof, Gunthero de Geylnowe, Gudewino de Triſtewitz, *militibus:* Gebehardo, *notario noſtro, fratre* Tylemanno, *magiſtro hoſpitum in* Dobirlug *et pluribus aliis fide dignis.*

§. 18.

Mutationes, quas commodi ſui cauſa monachi hic inſeruerunt, hae fere ſunt. 1) Inſerciendum fuit exordium, quod litteris fidem aliquam faceret, et

 teſtimo-

teſtimonio virorum proborum abuteretur. 2) Landgrauius fateri cogitur, ſe in monaſterio longe plura conſumſiſſe, quam tota illa donatio reddidit: nam forte quidam ex miniſtris nimiam ipſi in clericos liberalitatem exprobrauerat. 3) Celebranda erat monachorum ſanctitas et in cultu diuino aſſiduitas, quae longe plura, quam haec terrena et leuia, promereretur. 4) Addendum fuit nequis poſterorum aliquid immutaret. Nam Theodericus ille liberos nullos ſuſceperat, proinde timebant ſibi fratres ſanctuli, ne quis poſt illius obitum, donationem hanc irritam pronunciaret. 5) Sigillum quoque coniugis appendendum fuit, vt poſt mortem principis ad illam prouocari poſſet. 6) Tandem ratione diei et teſtium, mutatio inſignis ſuſcepta eſt, quale quid iam ſupra §. 11. adfuit. Sane ſuſpicionem illud mouet, quod litterae breuiores Septembri, prolixiores autem Auguſto menſe, datae ſunt.

§. 19.

Succedit diploma anni 1300. in quo Pincernae de Nebra monaſterio Volcolderodenſi in Thuringia, bona quaedam in villa deſerta Steden vendiderunt. Variationes textui ſubiectas conſpicis.

Nos Theodericus *et* Conradus *milites fratres dicti* Pincerne *de* Nebre, *recognoſcimus*, *et tenore preſencium publice profitemur*, *Quod conſilio unanimi et conſenſu fratrum noſtrorum* Henrici *et* Rudolfi, *uxorum noſtrarum* Elizabet *et* Richardis, *filiorum noſtrorum*, Henrici, Theoderici, Conradi, Theoderici, *et* Rudolfi, Conradi, Rudolfi, Henrici *et* Theoderici, *nec non filiarum noſtrarum* Cunegundis, *et* Elizabet, Cunegundis *et* Luchardis, *aliorum quoque omnium*, *quorum conſenſus ad hoc requirendus fuerat*, *manſum et dimidium*

midium proprietatis noſtre, ſitas in campis ville Steden, *nunc deſerte, Quinque agros cum dimidio, et quartale ſalicti,* m) *eisdem manſis attinentes, cum ceteris ſuis proprietatibus, videlicet aquis, aquarumque decurſibus, viis et inviis, pratis, paſcuis et vniverſis ſuis iuribus et attinentiis, Quendam quoque locum dictum* Burgſtadel *in eadem villa ſitum, Dno Abbati et Conventui in* Volkolderode, *racionabili empcionis titulo, vendidimus, ita, vt pro quolibet manſo decem marce, qualibet marca duo talenta denariorum Erphordenſium valente, pro quolibet vero agro ſalicum vnum talentum, et pro loco municionis prefate, tria talenta eiusdem monete integraliter mihi perſoluantur. Preterea* n) *in remedium anime noſtre ac progenitorum noſtrorum, ius patronatus Eccleſie ſeu parrochie ville* Stheden *iam dicte, prememoratis Dno Abbati et conuentui contulimus libere et ſolute. Promittimus eciam de his bonis omnibus et ſingulis prenarratis, et ad manus perſonarum ſepedicti conventus, una cum noſtris heredibus et coheredibus preſcriptis, voluntarie, ſicut ex iure fieri debet, reſignatis, iuſtam et fidelem warandiam nos facturos. In cuius rei certitudinem et ampliorem firmitatem, preſentem litteram inde conſcriptam noſtri munimine ſigilli ac venerabilis domini —— —— Decani de* Nivenburg, *firmiter roboratam ſupradictis Domino Abbati et conventui decrevimus exhibendam. Teſtes*

 ſunt

m) Alterum exemplar ſic habet: *dimidio et uno unius agri quartali ſalicti.*

n) Alt. ex. haec inſerit: *Preterea medietatem loci dicti Burgſtadel, in eadem villa ſiti, eisdem Abbati et conventui vendidimus, tribus talentis denariorum Erfordenſium, nobis inde plenarie perſolutis. Ceterum in remedium animarum etc.*

ſunt Dns °) Iohannes de Rinkeleiben, Theodericus *dictus* Leo, Henricus *filius eiusdem*, Conradus *dictus* Roppe, Nycholaus *filius* Ditheleibes, Harthungus de Kutzeleiben, *milites*, *et quamplures alii fide digni. Datum anno Domini Milleſimo CCC Nonas Julii.*

§. 20.

Specimina fraudis hic ſatis clara ſunt. Ridiculum eſt, quod illud penſum, quod de loco *Burgſtædel* agit, in diplomate interpolato bis poſitum habetur. Primo enim aiunt Pincernae, quod eum locum monaſterio *racionabili empcionis titulo vendiderunt*. In interpolato illud denuo interſerunt, addito ſcilicet pretio, *tribus talentis denariorum Erfurtenſium*, quo dimidiam tantum illius loci partem vendiderant. Negligentiam ſane inſignem hoc oſtendit, tum ab interpolatore, tum a deſcriptore commiſſam. Ea, quae de teſtibus monenda ſunt, iam ſuperius adfuerunt.

§. 21.

Singulare prorſus exemplum nequitiae habemus, in illis litteris, quibus *Arneſtus* Archiepiſcopus Pragenſis a. 1350. monaſterium Canonicorum regularium ordinis S. Auguſtini in vrbe Glacenſi fundauit. *Bohuslaus Balbinus* geminum illius fundationis exemplum authenticum manibus ſuis triuit, in quibus, quod miratur, tam multiplex fuit varietas. Eam vero prolixitatem vitans, paucis verbis tangam. 1. Litterae priores datae ſunt anno Iubilaeo 1350. X. Calend. Nou.

o) In alt. exempl. hi teſtes habentur: *Berengerus de Meldingen, Heinricus de Rosla et Lampertus de Nebere milites, Bertoldus de Appolde, et Bertoldus Vicedominus de Apolde, Hartungus de Kutzeleiben, Nicolaus de Dobertſchen, et quam plures alii fide digni.*

Nou. posteriores a. 1352. die 22. Martii. 2. Priores dederunt Arnestus Archiepiscopus et fratres illius Smilo et Wilhelmus de Pardubitz: in alteris nomina fratrum omissa sunt. 3. Priores obsignatae sunt ab Archiepiscopo et fratribus: posteriores ab eodem et Capitulo Pragensi. 4. Priores aiunt, Archiepiscopum et fratres bona ibi legata, suo aere comparasse: posteriores, eundem pecunias suae mensae dicatas parce tractasse, cumque consilio Capituli bona illa comparasse, sic, vt bona mensae Archiepiscopali destinata, nullo modo imminuerentur. 5. Priores litterae docent, fundationem ideo esse susceptam, vt sua parentumque suorum peccata expiarentur: posteriores parentum loco animas omnium Christi fidelium ponunt. 6. Posteriores addunt villam *Costomlat* cum agris cultis et incultis. 7. Eaedem illud praeterea ostendunt, Praepositum et Canonicos Capitulo Pragensi quotannis V. marcas grossorum Pragensium soluere debere, grossis LXIV. pro marca computatis, vt illa pecunia in anniuersario Archiepiscopi Canonicis distribueretur.

§. 22.

Ex his immutationibus facile constat, Capitulum id intendisse, vt ex tam lauta fundatione, aliquid lucraretur. Verum male ipsis cesserunt hae technae. Siue enim diffisi sunt malae causae, vt primis temporibus nihil mouerint: siue rem ex incuria prorsus neglexerunt. Anno demum 1484. Capitulum Pragense quinque illas marcas vrgere coepit, sed lites illae per triennium durarunt. Quia vero monasterium tanto temporis spatio nihil soluerat, illis autem temporibus, multa ex bonis suis amiserat, Canonici frustra fuerunt, nihilque a monasterio lucrati sunt.

§. 23.

Colophonem addat transactio parthenonis Hainensis cum Sculteto Lampertswaldensi, de decimis illius villae a 1352. inita.

In nomine Domini Amen. Laudabile est scripture testimonium, que oblivionis removet detrimentum. Nos igitur Thammo *Dei gracia Prepositus* Haynensis *Prepositure, omnibus presentis et future etatis, quibus presentes exhibitae fuerint, Recognoscimus bona intencione, quod deuote persone et religiose sanctimoniales monasterii in* Hayn, *nobis proposuerunt, conquerendo, quod* Nycolaus *scultetus in* Lamprechtwalde, *decimam, quam ipsis iure debito et hereditarie de villa Raschwitz que ad tria maldaria siliginis et avene sub equali mensura se extendit, singulis annis solvere tenetur, negligenter et diminute solvere nitebatur. Quare utrasque partes iusticia exigente, citari fecimus, coram nobis comparendo. Que in termino ipsis assignato comparuerunt, suasque causas lucide et racionabiliter expresse in foro nostri iudicii narrantes, nec non expresse explicantes, suaque testimonia secundum formam iuris adducentes. Tandem vero testimonia seu probaciones dictarum Claustralium probacionibus dicti* Nycolai *longe meliores invenimus, ac insuper patentibus litteris predecessorum nostrorum efficaciter confirmatas. Propter quod de consilio sapientum et iurisperitorum prenominatam decimam predicto monasterio adiudicavimus sententialiter et diffinite. Ipse vero* Nicolaus, *nostra iusticiali sentencia contentus eandem decimam sub mensura trium maldariorum siliginis et avene in predicta villa* Raschwitz *situatam predictis Cristicolis perpetuis temporibus sub pena excommunicacionis inprotractim coram nobis solvere se astrinxit. In cuius rei etc. Testes huius actionis sunt*

Discreti

Diſcreti viri ac honeſti, videlicet dominus Johannes *plebanus in* Elſtirwerde, *dns* Heynricus Sculteti *in ſuperiori* Ebirſpach, *dnus* Nycolaus Cerremantil *plebanus in* pericz, *dnus* Thymo *plebanus in* Dobirwiczin *dns* Hermannus *Capellanus in Hoſpitali* Hayn *perpetuus, et alii quam plures clerici et layci fide digni. Acta ſunt hec ſub anno incarnacionis Domini Milleſimo Treceteſimo Quinquageſimo ſecundo, feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit.*

§. 24.

Aliud harum litterarum autographum priori per omnia ſimile, vidi, niſi quod exordium diuerſum, teſtesque duo poſtremi omiſſi eſſent. Exordium vero deſcribere neglexi, quia tunc rem non magni momenti credebam, neque illud expendebam, formulas illas vulgares, quae ſub initium diplomatum occurrunt, in controuerſiis circa αὐθεντιαν diplomatum, vſum aliquem habere poſſe. Iam libenter et hanc formulam deſcriberem, ſed copiam autographi porro nanciſci non potui. Mutationes vero illae, quamuis exiles cauſas tamen ſuas habuerunt, de quibus alii diſpiciant.

Sectio poſterior

inquirens

in diploma aliquod controuerſum Henrici Illuſtris

anno 1230. datum.

§. 25.

Quae huc vſque protuli, vſum habent ad inquirendum in dubium aliquod, quod Hiſtoriae Saxonicae cultores huc vſque torſit, et tale eſt. Adſunt

ſunt litterae in quibus Henricus Illuſtris Marchio, monaſterio Luſenicenſi iuxta Eiſenbergam ſito, bona quaedam propria dicauit, quae Wernerus de Burgelino miles eidem vendiderat. Diploma datum eſt anno 1230. et tamen Henricus Illuſtris in eodem Thuringiae Landgrauii et Comitis Saxoniae Palatini titulo inſignitur, quem ante annum 1246. quo poſſeſſionom terrarum Thuringicarum nactus eſt, iure adhibere non potuit. Quum igitur quaeſtio orta ſit, quaenam ſit harum litterarum et titulorum ratio, Iurium et Hiſtoriarum periti in diuerſas ſententias abiere, quas ordine recenſere, meamque breuibus annectere ſtatui.

§. 26.

Antequam vero rem ipſam adgrediar, litteras ipſas prius adſcribere cogor, quae iam quater typis publicis editae ſunt. p) Apographum vero accuratiſſimum et ex Originali depromtum ſequimur, quod ſic habet:

In nomine ſancte et indiuidue Trinitatis, Amen. Henricus *Dei gracia* Miſnenſis *et* Orientalis Marchio, Thuringie Landgravius, *et* Saxonie Comes Palatinus. *Quoniam ad modum aquae defluentis preterit figura mundi huius, rerum geſtarum memoriam ſecum trahens in oblivionem, neceſſe eſt, vt, que in longeuam educanda ſunt noticiam, quibus ſubſiſtant, indiciis muniantur. Tenore igitur preſencium ad perhennem deferimus noticiam, quod* Wernerus *miles dictus* de Burgelino, *fidelis*

p) *Struuii* diſſ. de Comitia Palatinatus Saxonici Seren. genti communi p. 15. *Hornii* Henric. Illuſtris p. 296. *Gleichenſtein* in documentis monaſterii Burgelenſis p. 13. *Liebius* in ſpicilegio ad Hiſtor. Henrici Illuſtr. p. 52.

fidelis noster, ex consensu nostro et heredum nostrorum, vendidit Preposito in Luseniz *et ecclesie sue, pro triginta et quinque marcis argenti, septem mansos in* Mutendorf, *soluentes tres marcas argenti et III. solidos, cum omnibus adtinenciis suis, que a nobis et progenitoribus nostris, ipse et progenitores sui eatenus iure habuerunt feodali. Nos igitur factum ipsius pie prosequentes, ob reverenciam Dei et peccatorum nostrorum remissionem, villam predictam Mutendorf, cum adtinenciis suis, preposito et conuentui in* Luseniz *in proprietatem dedimus et resignavimus sempiternam, nullo deinceps iure in eisdem nobis et nostris successoribus remanente. Igitur quia stabilitati mandanda sunt, quae racionabiliter ordinantur, ne in preiudicium aut destructionem huius nostre ordinacionis aliqua nunc aut imposterum contrarictas valeat oboriri, in confirmacionem et perhennem ipsius stabilitatem presentem eis dedimus paginam sigilli nostri munimine communitam. Acta sunt hec Anno Domini M. CC. XXX. Indict. Testes sunt Dominus* Engelhardus Nuenburgensis episcopus, *Dominus* Theodericus *maior prepositus, Magister* Petrus, Henricus de Vlugelsberc, Henricus de Strazberc, *Canonicus* Nuenburgensis, *Dominus* Heidenricus *maior prepositus, Magister* Alexander *Canonicus* Misnensis. Witego *abbas de* Burgelino, Theodericus *prepositus de* Isenberc, Vlricus de Vrideberc, Vlricus *et* Johannes *fratres* de Pac, Volradus, Henricus *et* Tuto *fratres de* Corun, Otto de Ileburc, Werner de Erdmarsdorf, Ortolfus *et* Otto *fratres de* Isenberc, Bertoldus de Malencz, Wernerus de Discowe, *et alii quam plures.*

§. 27.

§. 27.

Primus qui has litteras edidit, et ſententiam ſuam de iisdem dixit eſt *Burcardus Gotthelf Struuius* edito anno 1712. programmate, *de Comitia Palatinatus Saxonici Sereniſſimæ genti communi.* Conſtat illud plagulis quatuor cum dimidia, nec non ſex ſigillis in plagula dimidia aeri inciſis. Tractatio eius haec fere momenta complectitur. Dignitas, ait, Comitis Palatini Saxoniae, vel territorio annexa eſt, vel dignitati Electorali, vel toti domui Saxonicae communis eſt. Primum non poteſt probari, quia multa palatia in aliorum manus peruenerunt, titulo tamen remanente. Neque ſecundum, quia illa dignitas toti domui Saxonicae communis fuit. Hoc inde probat, quia Comites Palatini Saxonici lineae Goſecenſis omnes hoc ipſo titulo vſi ſunt. Ab his ille titulus ad Landgrauios Thuringiae, et demum ad Marchiones Miſniae peruenit. Ex his Henricus Illuſtris Marchio illo titulo iam anno 1230. vſus eſt, qua occaſione diploma illud tunc nondum editum profertur, quanquam ex autenthico exemplari non deſcriptum, id quod inde conſtat, quia quaedam leuis momenti παϱοϱαματα in eodem deprehenduntur. Plura non proſequitur laudatus *Struuius*, quippe qui de epocha diplomatis non fuit ſollicitus, et, forſitan exiſtimauit, eandem fuiſſe illorum temporum, quam noſtrorum, conditionem, quibus principes, habito reſpectu ad iura, quae ipſis in aliquam prouinciam competunt, (*praetenſiones* hodie vocamus,) etiam titulos earundem vſurpare ſolent, quamuis terras ipſas nondum poſſideant.

§. 28.

§. 28.

Sequebatur programma *Gribneri de titulo Comitis Palatini Saxoniae in literis Henrici Illustris* Wittebergae editum et duabus plagulis constans, quod sententiae a *Struuio* prolatae contradicit. Causae sunt, 1. quia Henricus eo titulo ante a. 1242. quo Thuringia ab Imperatore, beneficii loco inuestitus fuit, gauisus non est. 2. Quia eandem ne quidem post inuestituram, vsque ad mortem Henrici Thuringiae Landgrauii, cognomento Rasponis, vsurpasse deprehenditur. Singula ex diplomatis comprobantur, quantum illo tempore fieri poterat. Fatetur enim *Gribnerus* in defectu documentorum, quae tunc temporis, adhuc dilitescebant, rem sufficienter tractari non posse.

§. 29.

Mense Octobri a. 1725. *Conrad. Frid. Reinhardus* Iurium et Philosophiae Professor Halensis, paullo post fato suo functus, programma edidit, *de tituli Comitis Palatini Saxoniae in literis Henrici Illustris origine, et seruati dein vsus eiusdem ratione*, plagulis tribus constans. Sub initium dicit, *Gribnerum* serio non egisse, sed *Struuio* tantum ingenii exercendi causa contradicere voluisse: sententiam quippe suam, quod Henricus Illustris, hunc titulum non nisi post mortem Henrici Rasponis adhibuerit, eo ipso sustulisse, quia ex *Tenzelio* litteras Henrici Illustris, a. 1246. datas protulit, in quibus ille titulus habetur. Ipse *Reinhardus* ad alias eiusdem anni ineditas prouocat, in quibus Henricus Illustris se Landgrauium Thuringiae et Comitem Palatinum Saxoniae vocauit. Ad rem ipsam quod pertinet, *Reinhardus* statuit, diploma illud controuersum non ad Henricum Illustrem,

sed

ſed Henricum Raſponem, Thuringiae Landgrauium, pertinere. Rationes eius ſunt ſequentes: 1. villa *Mutendorf* non ad Miſniam ſed Thuringiam pertinuit. 2. *Wernerus de Burgelino* Thuringus fuit, illamque villam beneficio Henrici Landgrauii poſſedit. 3. Henrico Illuſtri Marchioni illo tempore nondum ius competiit titulum Thuringiae et Palatinatus Saxonici adhibendi. *Struuius* equidem exiſtimat, Henricum Raſponem, Henrico Illuſtri illo titulo vtendi poteſtatem feciſſe. *Reinhardus* autem reſpondet, 1. illis temporibus vſu receptum non fuiſſe, vt principes titulos regionis alicuius vſurparent, antequam poſſeſſionem illius nacti eſſent. 2. Conceſſionem Henrici Raſponis non poſſe probari. 3. Henricum Illuſtrem eo tempore ne ſpem quidem concipere potuiſſe, fore, vt aliquando Thuringiam poſſideat, quia nonſolum Henricus Raſpo, ſed et frater illius Conradus, et Ludouici fratris filius, Hermannus, tunc in viuis erant. Cum duo illi poſteriores a. 1240. et 1241. obiiſſent, tum demum Henricus Illuſtris inueſtituram terrarum Thuringicarum, quam abuſiuam vocant, ab Imperatore nactus eſt. Quo facto *Reinhardus* varia excerpta ex tabulis Henrici Illuſtris ineditis profert, quae probant, illum ab anno 1230. vſque ad annum 1242. illo titulo prorſus abſtinuiſſe, quae quarta illius reſponſio eſſe poteſt. Adducit porro bigam chartarum anno 1243. et 1245. editarum, in quibus Henricus tantum Marchio Miſnenſis et Orientalis appellatur. Quod ad hoc ipſum axioma Marchionis Miſnenſis et Orientalis ſpectat, dubium eſſe ait *Reinhardus*, an illud in autenthico inueniatur, cum non indicarit *Struuius*, an illud inſpexerit, an potius apographo vſus fuerit. Vt paucis me expediam, ad

hoc

hoc Marchionis elogium parum aut nihil respondet. Tandem ostendit, qua ratione Henricus Illustris illos titulos vsurpauerit, et quamdiu, adductis in fidem eius rei variis tabulis tum editis, tum nondum editis.

§. 30.

Anno sequente 1726. prodiit *Io. Gottlo. Hornii* Historici Saxonici, *Henricus Illustris historice descriptus*, opus sane luculentum, in quo et hanc rem tetigit. q) Postquam sententias *Struuii* et *Gribneri* adduxit, suam addit, Henricum Illustrem ante inuestituram Thuringicam, nullo alio titulo quam Marchionis Misniae et Orientalis insignitum fuisse. Postea delabitur ad alias eiusdem litteras, quae annum 1256. praeferunt, ipse vero ad annum 1246. refert, de nostris nihil porro memorat.

§. 31.

Eodem anno, et quidem vergente, *Gribnerus* materiam, *de titulo Comitis Palatini in litteris Henrici Illustris* denuo tractandam, et vlterius protexendam sumsit. Huc vsque Serenissimo Poloniarum Regi et Electori Saxoniae a Consiliis aulicis, simulque tabulario electorali praefectus fuerat, nunc autem ad Academiam Lipsiensem se contulerat, vt munus Ordinarii in Collegio iuridico administraret. Quum igitur archiuo laudato vtendi fruendi occasionem habuerit, procul omni dubio certiora et meliora iam proferre potuit. Quae vero ille in hac scriptione tractat, sunt sequentia. 1. Ante annum 1230. elogium Landgrauii Thuringiae et Comitis Palatini Saxoniae in tabulis Henrici Illustris non reperitur. 2. Quod ad hoc diploma controuersum adtinet, adfirmat,

q) *Hornii* Henricus Illustr. C. VIII. §. 12. 13.

firmat, illud vel eo anno datum non eſſe, vel ad Henricum Illuſtrem non pertinere, vel denique titulos illos in autographo non reperiri. De anno controuerſiam non mouet, quia teſtes illis temporibus vixiſſe conſtat, et alia documenta eosdem indicant. Caeterum hoc firmum eſt, elogium Landgrauii Thuringiae et Comitis Palatini Saxoniae, Henrico Illuſtri, tunc nondum competiiſſe; quemadmodum illud 3. ad annum vſque 1242. in nullo diplomate adhibuiſſe deprehenditur. 4. Poſtquam anno dicto Thuringiae inueſtituram nactus eſt, neque tum ſtatim illo titulo vſus eſt, quod adductis exemplis illuſtratur. 5. A. 1246. occurrunt tabulae, quae titulum Comitis Palatini exhibent. Verum anno hoc ineunte Henricus Raſpo, iam fato ſuo functus erat, neque commode ab hoc anno ad praecedentes concludas. 6. Poſt mortem Henrici Raſponis, Henricus Illuſtris non ſemper hoc titulo vſus eſt, quod etiam adductis exemplis illuſtratur. 7. Poſt annum 1268. vnicum adeſt diploma, in quo titulum hunc adhibuit, cuius omiſſionis ratio fortaſſis haec eſt, quia in diuiſione terrarum ſuarum, Thuringiam Alberto filio conceſſerat.

§. 32.

A. 1729. *Chriſt. Sigism. Liebius Spicilegium ad vitam Henrici Illuſtris* edidit, idque de mandato Ducis Saxo-Gothani, documentis luculentiſſimis e tabulario Altenburgenſi, depromptis inſtructum. Ad has igitur literas §. 27. deueniens, docet, illas vtique authenticas eſſe, obiectiones autem *Gribnerianas* non admodum magni eſſe ponderis. Poſtea §. 28. hae ipſae litterae denuo ex authentico exemplari accurate deſcribuntur, et §. 29. aliud adhuc diploma anni 1230.

ex

ex autographo descriptum adest, in quo Henricus Illustris, non solum Marchionis Misnensis et Orientalis, sed et Landgrauii Thuringiae et Comitis Palatini Saxoniae titulo, mactatus esse deprehenditur.

§. 33.

Eodem anno prodiit *Io. Basilii Nobilis Domini de Gleichenstein Historia monasterii Burgelinensis*, in qua et hoc nostrum diploma in censu reliquorum documentorum profertur, nulla alia de causa, quam vt *Wernerum de Burgelino*, militem, et *Witegonem*, Abbatem illius monasterii ex eodem comprobaret. Praefixum est autem eidem initium tabularum Rudolphi Habspurgici, sic vt suspicari quis possit, transsumtas esse has literas ab Imperatore. Auguror autem per errorem describentium hoc accidisse, quia neque exordium transsumti plenum adest, neque finis illius additur. Ceterum haec ipsa Imperatoris transsumtio, si quae facta est, negotio huic nostro, nihil vel addit, vel adimit.

§. 34.

Postquam igitur virorum laudatorum mentem de his tabulis Henrici Illustris exposui, meam quoque nunc addere liceat. Ex iis, quae sectione priore huius scriptiunculae prolata sunt, facile constabit, quaenam mea sit de iisdem sententia. Nimirum diploma, quod ad rem ipsam spectat, satis genuinum esse, et ab Henrico Illustri datum esse, censeo. Accessit vero illud, quod temporibus sequentibus, vel necessitas postulauit, vel monachis ita visum est, vt illud transscriberetur. Sed Notarius memoria lapsus in duobus peccauit. Henrico Illustri titulum adposuit, qui ipsi a. 1230. nondum competebat, et sigillum adiecit, quod anno dicto non conueniebat. Debe-

bat potius integrum diploma, prout antea ſcriptum erat, transſumere, et tum demum annum, quo transſumtio facta eſſet indicare, tunc illud ſigillum recte quadraſſet.

§. 35.

Non autem ſufficit, ſententiam dicere, neceſſe eſt eandem comprobari, quantum quidem in talibus fieri poteſt. Et *primo* quidem illud adfero, clericos in aliis rebus non fraudes ſolum, ſed et errores, quod minus eſt, commiſiſſe, cuius rei exemplum ſuperius §. 5. 6. adfuit, vbi titulum rectius poſuerunt, ita vt cum anno conueniret, de ſigillo vero non ita fuerunt ſolliciti. Ergo et hic tale quid committere potuerunt. *Secundo*, Indictio huius diplomatis argumentum nobis praebet. Si hae litterae ipſo anno 1230. ſcriptae eſſent, Indictio Notario aut Scribae fuiſſet familiaris, et facile addi potuiſſet. Quia deſcriptio iterata demum poſt aliquot annos ſuſcepta eſt, Notarius, qui computando tempus terere noluit, ſpatium reliquit, poſtea vero numerum Indictionis ſupplere omiſit. *Tertio*, ipſum exordium harum litterarum: *Quoniam ad modum aquae defluentis etc.* aliquid nos docet. Si tabulas Henrici Illuſtris perluſtrabis, inuenies illam formulam ante annum 1243. non haberi. Occurrit autem in Codice diplomatico *Hornii* num. XIII. Eandem in aliis litteris monaſterii Haynenſis obſeruaui, ſed adhuc ineditis. Ergo et illud ſimul hinc patet, poſt annum demum 1243. Notarium aliquem in miniſterio Henrici Illuſtris fuiſſe, qui hanc formulam adhibuerit, id quod poſt annos tres in illa tempora congruit, quibus Henrico tituli Landgrauii Thuringiae et Comitis Palatini Saxoniae iure tribui potuerunt.

§. 36.

§. 36.

Iam, quae ſententiae meae opponi poſſent, remouere debebam, ſed nolo prolixior eſſe. Sufficit duas veritates huiusque productas eſſe, ad hoc diploma diiudicandum vtiles. *Prior* eſt, authenticum illius exſtare, et a *Liebio* viſum eſſe: *Altera* eſt, litteras nonnunquam denuo deſcriptas ſigilla et titulos ſequiorum temporum oſtendere, id quod exemplis a me in medium productis confirmatum eſt. Quae igitur viri laudati ante haec duo prolata, circa hac diploma monuerunt, nunc facili negotio corruent. Nihil igitur reſtat, niſi vt contra *Reinhardum* aliquid moneatur. Voluit is diploma noſtrum Henrico Raſponi tribuere, hoc argumento inter alia vſus, quod villa *Mutendorf* ad Thuringiam pertinuerit: in qua quidem re inſigniter lapſus eſt. Nam totus ille diſtrictus monaſterii Luſenicenſis, iam Conradi Magni temporibus ad Marchiones Miſnenſes ſpectauit, ad quem ex haereditate Wilhelmi Comitis Camburgenſis peruenit. [r])

* * * * * *

Liceat nobis, appendicis loco addere diploma, fraudis, ſimilis ei, cuius B. *Schoettgenius* hac in diſſertatione varia produxit exempla, ſuſpectum. Pertinet id quoque ad tempora Henrici Illuſtris, eſtque vnum antiquiſſimorum ad hiſtoriam eccleſiaſticam Fribergenſem ſpectantium. Duo eius adſunt originalia, vt vulgo vocantur, exempla, vno vt videtur tempore ſcripta, quorum vnum, quod nos quidem, iure quodam, authenticum eſſe putamus, iam olim publici

r) Dipl. apud *Habnium* Collect. Tom. I. p. 75.

publici iuris fecit M. R. *Christ. Gotthold. Wilischius*, in Codice diplomatico, Historiae suae ecclesiasticae Fribergensi addito. Cum vero ibi non satis accurate descriptum, imo nonnullis verbis penitus omissis, exhibeatur, non superfluum erit, illud accuratius hic repetere, eaque in quibus alterum eius exemplum ab illo differt in notis subiectis indicare.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Quamdoquidem earum que contingunt rerum simplex et pura veritas illorum dumtaxat qui presentes sunt patet memorie. consequens est et summopere necessarium quatinus eorum que gesta sunt series scripto mediante posterorum noticie tam euidenter innotescat. ut omnis contrarietas que suboriri Aut subornari potest caueatur. et nichil de contingentibus omittatur. set obliuiosus vtrobique neglectus sollicite vitetur. Hinc est quod omnium tam presencium quam futurorum discretioni fideliter conmitto. perpetue seruandum memorie. quia ego Heinricus Aduocatus in vriberc. Heinrico filio meo et fratribus eius et omnibus meis heredibus. Assensum prebentibus. optali ad hospitale s) *super altare sancti iohannis apostoli et ewangeliste ad honorem omnipotentis Dei pro remedio eciam animarum. patris scilicet mei Riperti. et matris mee Kunze herlewini quoque senioris et coniugis sue redditus quosdam qui dicuntur scrotambacht. omnem videlicet utilitatem que me ac meos heredes de eodem scrotambacht contingebat. vt quinque pauperes specialiter in eodem hospitali per successiones temporum continue et perpetualiter pro peccatis meis et vxoris mee hilderume* *) *et heredum meorum omnium. ex eisdem prouentibus sustententur ibidemque procurentur. Sciendum*

s) alter. exempl. omittit verba: *ad hospitale.*

endum eſt eciam quod omniſ vtilitaſ quam ſororeſ mee de ipſo ſcrotambacht percipiunt. ad me et meoſ heredeſ poſt mortem earum reuerſura t) *erat. quam ad prefatoſ vſuſ pauperum totaliter aſſignaui.* u) *Contuli eciam ad idem hoſpitale quatuor manſoſ. ſitoſ in Schirmana minori. cum curia nemoribuſque contiguiſ. vt igitur hec mea oblacio ſtabiliſ et inconuulſa perhenniter perſeueret. preſenſ ſcriptum fidei poſterorum dirigendum cenſui et ſigillis meo ſcilicet et burgenſium* x) *roboraui. Teſteſ huiuſ rei ſunt. Theodericus et Ripertus fratreſ mei et filii eorum. Cunradus de ualkinhain. et Tammo de dobelin generi mei* y) *Rudolfus de ſcharffinberc vlricus de maltiz. Heinricus aduocatus de hagin gener meuſ.* z) *Johannes aduocatuſ et Johannes de aldinburc. cognati mei. bernharduſ de ſieſſowe. et filii ſui. bernhelmus de Cozinrode. Heinricus filiuſ leoniſ et fratreſ ſui et hij qui XXIIII. dicuntur de civitate et burgenſeſ omneſ. Acta ſunt hec Anno Cre M.° CC° XX° VII.°*

Facile apparet, duas praecipue ob cauſas, alterum harum litterarum exemplar, fraudis ſuſpectum eſſe. Primo, ob totum illum locum de pecunia certa, a qualibet carrara vini ſoluenda, ei inſerto, cuius rei

t) alt. exempl. habet: *reuerſa.*

u) alt. exempl. ſequentia hic inſerit: *De qualibet inſuper carrara uini quatuor denarioſ quoſ iure predeceſſorum meorum vſque ad tempus idem receperam domui eidem deuota liberalitate contradidi.*

x) alt. exempl. *et ſigillo meo ſcilicet proprio roboraui.*

y) alt. exempl. omittit verba: *generi mei* et demum poſt nomen ſequentis ponit.

z) alt. exempl. hoc ordine: *Heinricuſ Aduocatuſ de hagin. generi mei. Rudolfus de ſcharffinberc. Vlricuſ de maltiz.*

rei in priori authentico, ne verbo quidem mentio facta est, et deinde etiam propterea, quia hoc exemplum, non ſicut illud, appenſo Burgenſium ſeu Senatus vrbis Fribergae ſigillo, confirmatum eſt.

Ceterum, quod potiſſimum argumentum harum et plurium veterum litterarum Fribergenſium attinet, officium nempe illud, hodie plane incognitum, quod *Scrotambacht* dicitur, de quo *Mollerus* in hiſtoria Fribergenſi, et poſt eum, alii recentioribus temporibus, varia et partim ſatis inepta ſomniarunt, huius rei luculentam et doctam explicationem, ſingulari libello, fortaſſe hoc ipſo adhuc anno proditura, ſuppeditabit, Vir quidam Iuris Conſultiſſimus, nobisque, quo valde delectamur, amiciſſimus, de cuius eruditione et eximia Hiſtoriarum Iurisque antiqui ſcientia, abunde teſtantur libri praeter alias ab eo conſcripti, de originibus et hiſtoria rei metallicae terrarum Miſnicarum et ſpeciatim Fribergenſis, atque de proſcriptionis memorabili quodam genere, das Verzellen, dicto, olim in iudicio, Fribergae, vſitato, ea, qua digni ſunt laude, a rei intelligentibus excepti. *Editor.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

IV.

Analecta
De Burgwardiis Saxonicis.

§. 1.

Qui in re hiſtorica litterarum monumentis aliquid mandare ſolent, neutiquam ſibi perſuadent, ſe opera ſuis numeris abſoluta poſſe protrudere. Quum primum

primum enim liber aliquis ad finem perductus eſt, tum ſtatim prodit alius, qui ex angulo quodam abſtruſo et ignoto res profert huc vſque incognitas, quibus, quae huc vſque tradita ſunt, vel ſupplentur, vel emendantur, et, quae minus certis argumentis confirmata erant, corroborantur. Nemo quisque veritatis ſtudioſus tam eſt abſurdus, qui vel ſententias incertas reuocare, vel etiam, quae omiſſa ſunt, ſupplere nolit. Quum igitur ante annos XV. de Burgwardiis Saxonicis agerem parte VII. operis, quod *Spicilegium hiſtoriae Saxonicae* inſcribitur, et ſermone vernaculo prodiit; accidit poſtea, vt tum ex libris editis, tum quoque documentis nondum publice proſtantibus, plura burgwardia obſeruarem, quorum notitiam, vna cum aliis eo pertinentibus, Lectori nunc quidem propinabo.

§. 2.

Deriuatio Burgwardii.

Celeberrimus hiſtoriae Gandersheimenſis conditor, *Burgwardii* vocabulum ab auctore vitae S. Meinwerci, a me quoque allegato, adductum explicaturus, ait, ſibi videri idem eſſe ac *böhr*, *börde*, tractus inter duo montium iuga longe exporrectus, et *warde*, *werder*, paſcuum. [a]) Fraudi autem fuit viro docto, quod librarius paullo ſtupidior vocem non accurate ſatis expreſſit. Nam illa, quae de *burgo*, h. e. arce, et *warta* ſiue ſpecula, produxi, longe melius ad rem faciunt, et cum vulgatiſſima illius vocis ſcriptione conueniunt. Vt adeo burgwardium proprie arx ſit in loco ſuperiore exſtructa, ex qua, tan-

a) Harenbergii hiſt. Gandersheim. p. 123.

tanquam ex ſpecula, hoſtem procul aduentantem liceat perſpicere.

§. 3.

Quaedam ad Synonymiam et Homonymiam ſpectantia.

Burgwardium antiquis temporibus latino ſermone dicebatur *municipium*, teſte diplomate Ottonis II. qui Eccleſiae Magdeburgenſi *ciuitatem Magdeburg cum teloneo et mercàtu ſeu moneta, municipium eius, quod nos Burgwardum dicimus*, confirmauit. [b]) Aliud exemplum in dicto Spicilegio euoluatur. Sed tamen et hoc obſeruare licet, ſignificatum hunc, etiam vltimis temporibus, ſimul obtinuiſſe, vt integrum diſtrictum denotaret.

Sequioribus temporibus, quum diſtinctio in burgwardia dudum exoleuiſſet, vocabulum tamen eorundem in vſu permanſit, eadem notione, quam modo tetigimus. Adſunt litterae Henrici, Aſcaniae Comitis, a. 1239. datae, in quibus mentio fit primum *mercatus*, *thelonei et praefecturae opidi Nienburgenſis:* quae praefectura paullo poſt *burchwardum Nienburgenſe* appellatur. Secundo loco memoratur *burchwardum trans Mildam*, tertio *praefectura in Hazzekenrod.* Tandem additur: *De ſupradictis tribus burchwardiis non exhibetur aliquod ſeruitium Aduocato.* [c]) Conſtat ex his, praefecturam ſiue diſtrictum appellatum fuiſſe burchwardium. Adſunt literae Theoderici, Marchionis Landsbergenſis, qui filius erat Henrici Illuſtris, annum 1276. agnoſcentes, in quibus

b) Dipl. apud Meibomium II p. 373. et alios.

c) Dipl. apud Becmanum Hiſt. Anhalt. V. p. 71.

quibus haec habes: *Praedictus etiam Episcopus in bonis suis et Iudiciis, et in his, quae vulgariter* Weichbilde *et* Burckward *dicuntur, nulla incommoda sustinebit.* Item in aliis anni 1278. *Et quicquid est inter et intra terminos Iudiciorum, quae* Wichbild *et* Burgkwerda *nuncupantur.* d)

§. 4.

In eadem dioecesi Numburgensi burgwardii vox serius obtinuit, cui rei testimonio est documentum, quo Wilhelmus, Saxoniae Dux, fines suos et Episcopatus Numburgensis legitime describit, id quod factum a. 1451. Ibi burgwardii vox aliquoties habetur, id quod ex his exemplis constabit: *Vmb Crossen mit sinem Gericht vnd Burgkwarden sal bliben, inmassen als das vermalet ist. - Also das die zcwo Eygenschafft* (duae villae ad quosdam priuatos spectantes) *von der Burgward usgeschlossen sind.* Porro: *hie dissyd dem Tale, da sich die Burgward endet. - Vnd auch alle andere Gelegenheid, was der vndir den Burgwarden Ende ligen, geboren zcu denselben Burgewarden.* e)

Tandem breuibus addenda est distinctio inter burgum et burgwardum, h. e. arcem siue vrbem, et districtum circumiacentem. Eam habet diploma Ottonis II. Marchionis Brandenburgici a. 1196. datum, his verbis: *castrum* Mokerine, Steinboie, *et quod habuimus tam in burgo, quam in burgwardo* Cherewist, *tradidimus.* f)

Nunc

d) Dipl. apud Irisandrum *Sammlung von Naumburgischen Vrkunden* p. 86. 95.
e) Dipl. apud Eundem p. 4. 5.
f) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. IX. p. 540. et XI. p. 596. Waltherum Singular. Magdeb. II. p. 43.

Nunc igitur ad rem.

I. *Burgwardum Buiſtrizi.*

Haud procul a villa *Peſterwitz*, quae nominis priſci veſtigia ſeruat, rudera conſpiciuntur arcis antiquae muro et duplici foſſa quondam munitae. Aiunt, lapides illius ad exſtruendum templum fuiſſe adhibitos. Ruſtici hodie vocant *den Purpurberg*, quod corruptum eſt ex *Burgberg*.

II. *Burgwardium Gozne et Franckenberg.*

De hoc nactus ſum Excerpta diplomatis anno 1243. dati, cuius ex *Albino* mentionem feceram: in eo continentur ſequentia. Illo tractu temporis orta ſunt diſſidia inter Eccleſiam Miſnenſem et Arnoldum de Mildenſtein, de decimis praediorum Abbatiae Hersfeldenſis in hoc Burgwardio Goznenſi ſitorum. Quamuis igitur Epiſcopus, Decanus et Archidiaconus Merſeburgenſis, auctoritate Pontificis Maximi ad hoc delecti, litem diremerint, tamen ambo litigantes, deciſione non contenti, denuo in Epiſcopum Merſeburgenſem, Theodericum Marchionem Miſnenſem, et Albertum de Drewzk, compromiſerunt. Hi poſt multam deliberationem hanc ſententiam tulerunt, vt, ſi Theodericus, Praepoſitus Miſnenſis, cognatus Alberti Mildenſteinii, iuratus adfirmaret, decimas has ad Eccleſiam Miſnenſem ſpectare, Albertus liti ſuae nuntium mitteret. Iuramentum igitur praeſtitit Praepoſitus laudatus in ſancta Dei Euangelia, quae formula illis temporibus inoleuerat, omnem decimam bonorum Eccleſiae Hersfeldenſis in Burgwardio Gozne et Franckenberg ſitorum ad altare B. Pauli et Praebendam Fratrum h. e. Canonico-

rum,

rum, ſpectare. Quo facto ſilentium Arnoldo impoſitum, et lis finem ſuum nacta eſt.

Albinus, Miſnenſis hiſtoricus, hic aliquid humani paſſus eſt, dum ait, Hirſchfeldenſem parochiam praecipuam in illo Burgwardio fuiſſe ſitam, ad quam ſcilicet decimae illae ſpectauerint: ego in Spicilegio Saxonico *fide* ipſius hoc repetii. Nunc autem certiora Lectorem edocere poſſum. Eccleſia Hirſchfeldenſis, cuius hic mentio, fuit olim Abbatia ſatis antiqua et celebris, quam non in his noſtris regionibus, ſed in Haſſia, quaeras. Hodie Principatus dignitate ornata eſt. Quamuis autem haec Abbatia longo admodum ſpatio a nobis diſſita ſit, multa tamen in terris noſtris praedia obtinuit, quae Marchiones noſtri tanquam beneficia Abbatis Hersfeldenſis agnouerunt. Res vulgo nondum ſatis eſt nota, particulam terrae Miſnenſis in clientela horum Abbatum fuiſſe, quamuis de Arnſtadio et aliis Thuringicis nulla ſit controuerſia. Veſtigia vero quaedam de vrbe noſtra Dresdenſi occurrunt in diplomate anni 1319. vbi Witego, Epiſcopus Miſnenſis, dicit, Fridericum Admorſum debere hanc ipſam vrbem beneficium Eccleſiae Miſnenſis agnoſcere, ſaluo tamen iure Abbatis Hersfeldenſis. g) Vidi aliquando ſchedulam, manu Tenzelii ſcriptam, in qua haec verba legebantur: *Haec ſunt feoda, quae Marchio Miſnenſium recipit de manibus noſtris, Ciuitas* Scaphe, (Zſchopa,) *et omnia, quae attinent huic villicationi*, Lichtenwald *et omnes villicationes ibidem attinentes*, Franckenberge *caſtrum et ciuitas, et quicquid ibidem attinet.* Ex his itaque con-

g) Dipl. apud Weckium p. 163. Tenzelium in vita Friderici Admorſi p. 975.

conficitur, Hirſchfeldam, de qua diploma allegatum loquitur, in Miſnia noſtra minime eſſe quaerendam.

Ad rem autem ipſam vt perueniamus, loci illius, cui *Gozne* quondam nomen fuit, nulla fere hodiernis temporibus ſuperſunt veſtigia: niſi quod Vir quidam Reuerendus, et rerum Francobergenſium gnarus, per litteras monuit, in ruderibus arcis deſtructae ibidem inuentum fuiſſe lapidem, qui literis Gothicis vocem *Goſenburg* oſtenderit. Pars igitur fuit inſcriptionis antiquae, neſcio quam ob cauſſam olim inciſae, ſed quae tamen aeuum tulit neutiquam. Interim et hoc addere liceat, arcem Francobergenſem quondam ab vrbe fuiſſe diuerſam, quum nomen habuerit *Franckenburg*, cui vicina eſt arx *Sachſenburg*, quae duo nomina primos incolas Germanos in illis regionibus denotant. Arcis Francoburgenſis denominatio in Epitaphiis templi, ob vetuſtatem nuper deſtructi, fuit conſpicua, vbi Schoenbergii ſe ſcripſerunt *Dominos in Sachſenburg et Franckenburg iuxta Franckenberg*. Et haec quidem hactenus.

III. *Burgwardium Nerchow.*

A. 1231. hoc burgwardium ad Eccleſiam Magdeburgenſem ſpectauit, ab Alberto vero Archiepiſcopo pro octingentis marcis argenti venditum fuit Engelhardo, Epiſcopo Numburgenſi, ad quam rem conſenſus Capituli anno ſequenti acceſſit. Teſtantur hoc duo diplomata, quae, quia hac vſque nondum ſunt edita, locum aliquem hic merentur, quia teſtes habent notatu digniſſimos.

I.

In nomine Domini. Albertus *Dei gratia ſancte* Magdeburgenſis *ecc'eſie Archiepiſcopus*, *Vniuerſis preſentem*

ſentem paginam inſpecturis. Notum ſit omnibus tam futuri, quam preſentis eui fidelibus, Quod venerabili fratri noſtro domino Engilhardo Nuemburgenſi *Epiſcopo et eccleſie ſue vendidimus proprietatem eccleſie noſtre videlicet Burchwardum, quod appellatur* Nerchow, *cum omnibus attinentiis ſuis vacantibus et infeodatis, pro octingentis marcis argenti, quam pecuniam nobis conſitemur eſſe ſolutam, et in utilitatem eccleſie noſtre verſam, ſcilicet in ſolutionem mille marcarum, in quibus tenebamur Duci* Auſtriae *ex cauſa mutui, in qua ſumma praedictus* Nuemburgenſis *et venerabilis frater noſter* Eckehardus Merſeburgenſis *epiſcopi, et quidam alii, pro nobis apud Ducem praedictum fideiuſſerunt. Tradentes itaque ſibi dominium predictarum poſſeſſionum, ipſum per nuncios noſtros in poſſeſſionem induci fecimus corporalem, promittentes ſibi preſtare warandiam earundem, ſecundum ius et terrae conſuetudinem approbatam. Ne vero ſuper hoc aliqua in poſterum dubietas oriatur, preſentem ſuper eodem contractu literam conſcribi fecimus, et ſigilli noſtri munimine roborari. Actum prope villam* Koysſchow, *anno incarnationis Domini M. CC. XXXI. VII. Idus Septembris, coram teſtibus ſubnotatis, qui ſunt hii. Dominus* Eckehardus Merſeburgenſis, *dominus* Henricus Miſnenſis *Epiſcopi,* Willebrandus *maior prepoſitus,* Degenhardus *Vicedominus,* Ludeuicus *Cantor* Magdeburgenſis, Nortbertus, *Cantor,* Henricus de Waryn, *Mgr.* Conradus, *Canonici* Merſeburgenſes. *Laici,* Burchardus *prefectus* Magdeburgenſis, Heinricus *Comes de* Schowinburg, Bartholomeus de Guch, Otto de Ylburg, Richardus *dapifer, et alii quam plures.*

2. Wil-

2.

Willebrandus *Dei gratia Maior prepoſitus*, Fredericus *Decanus*, *totumque ſancte* Magdeburgenſis *Eccleſie Capitulum*, *Vniuerſis paginam preſentem inſpecturis. Notum ſit omnibus tam futuri, quam preſentis eui fidelibus, Quod venerabilis dominus et pater noſter*, Albertus *eccleſie noſtre Archiepiſcopus*, *domino* Engelhardo Nuemburgenſi *Epiſcopo et eccleſie ſue vendidit proprietatem quandam eccleſie noſtre*, *ſcilicet Burchwardum* Nerchow *in dioceſi* Miſnenſi *et Comitatu Marchionis* Miſnenſis, *cum omnibus ſuis attinentiis*, *tam vacantibus*, *quam infeodatis*, *pro octingentis marcis argenti*, *quam venditionem nos gratam et ratam habemus*, *et eidem vnanimiter aſſentimus*, *quia eccleſia noſtra per reſtaurum competens indempnis eſt conſeruata. Ad declarandum autem conſenſum noſtrum preſentem literam conſcribi fecimus*, *et ſigillo noſtri Capituli roborari. Teſtes huius rei ſunt* Willebrandus *prepoſitus*, Fredericus *Decanus*, Wernerus *prepoſitus in* Hunoldeſburg, Conradus de Salzwedele, Ludolfus Moguntinenſis *Scholaſticus*, Sifridus, Albertus *S. Sebaſtiani in* Magdeburg *Prepoſitus*, Krafto *cellerarius*, Ludolfus de indagine, Thimo, Theodericus de Tobin, Rupertus, Bruno *prepoſitus* Lubicenſis, Albertus *beatorum Apoſtolorum Petri et Pauli* Magdeburg. *Prepoſitus*, Arnoldus *ſcholaſticus. Acta anno incarnationis Domini M CC XXXII. II. Nonas Junii.*

Nercha ſ. *Nerchauia* hodie oppidum eſt ad Muldam ſitum, inter Grimmam et Wurcenam. Ex hiſtoria mea Wurcenſi conſtat *Nercham* iam a. 983. Archiepiſcopatui Magdeburgenſi ſubiectam, poſtea a. 991. et 995. varias mutationes fuiſſe paſſam, quae iam non repeto.

IV. *Burg-*

IV. *Burgwardium Trebeni.*

Huius iam facta est mentio in Spicilegio vernaculo, vbi vndeuigesimum locum obtinet. Addenda nunc sunt, quae sequuntur. A. 1108. Henricus V. Rex Ecclesiae Misnensi nouem mansos regales, sex in burchwardo et villa *Tribene*, tres autem in villa *Chrowati*, iuxta fluuium Sala, in proprietatem dedit. h) Villa *Chrowati* hodie *Corbeta maior* dicitur, a qua *minor* haud procul remota est.

V. *Burgwardium Zwegeni.*

A. 1021. quum Wernerus, Episcopus Merseburgensis, monasterium S. Petri in metropoli sua fundaret, in burgwardo Zwegene ipsi dedit villas *Schwindele*, *Belitza*, *Guntorf*. i) *Zwegene*, Brotuffius suo tempore *Zwegen* vocari dicit, hodie dicitur *Zwehmem*, quod cum *Belitz* et *Gundorff* ad Lupiam hodieque superest. *Schwindele* mihi huc vsque ignotum est.

VI. *Burgwardum Scudici.*

De hoc ante dubitaueram, quia nomen burgwardi eidem adiectum non obseruaueram, nunc vero certiora edoctus mentem muto lubentissime. In hoc Burgwardo a. 1021. sitae fuerunt hae villae, *Rasenitze*, *Wesmar*, *Dewini*, *Tholenici*, et *Wideritz*. Exhibet illas tibi mappa Geographica Merseburgensis, excepta *Dewini*, quam Brotuffius suo tempore vocari dicit *das wenige Ende*: locus mihi ignotus. Idem Bro-

h) Exc. dipl. ex MS. et annot. Hornii ad Epistolam Adelgoti p. 7.

i) Brotuffii hist. monasterii S. Petri. part. XII. *der Obersaechsischen Nachlese* p. 172.

Brotuffius [k]) tradit, Zwenckauiam vrbem ad hoc burgwardium pertinuiſſe, quod fide ipſius adfero, quum mihi non fiat veriſimile.

VII. *Burgwardium Merſeburg.*

1. Occurrit in eadem fundatione, vtpote in quo ſitae tunc erant villae *Trebenitz*, *Ripitſch*, *Welkau* et *Wallendorff*. Has omnes inuenies hodieque iuxta Merſeburgum ſitas.

2. A. 1029. Conradus II. Imp. clerico cuidam Iboni tres manſos dedit, *ſitos in villa* Liehicho, *in pago* Haſſagouue, *in Comitatu* Sigfridi *Palatini Comitis, in Burguuart* Merſeburg. [l]) Quid illud nominis ſit *Liehicho*, fateor, me ignorare. Fortaſſe ſcriptor nomen ex negligentia corrupit. Habemus autem *Liebenau* haud procul Martisburgo : quid ſi igitur ſcriptum fuerit *Liebinow?*

VIII. *Burgwardium Hunliebi.*

In illo monaſterium S. Petri accepit *Hohenweiden* et *Baſtendorff*. *Hunliebi* hodie dicitur *Holleben*, *Baſtendorff* hodie *Paſſendorff* proxime ad Halam, *Hohenweiden* ad Salam etiam ſupereſt.

IX. *Burgwardium Melitzin.*

Et hoc debemus fundationi iam quater memoratae. Nam in illo monaſterium S. Petri accepit *Zemptzin*, *Iucha*, *Crymme*, et XI. manſos in *Welitzo*. *Melitzin* hodie eſt *Moelſen*, oppidulum tractus Leucopetraei.

k) Idem Chron. Martisb. II. 2.

l) Dipl. apud Wideburgium Specim. I. rerum Miſnicarum p. 76. et in Antiqq. Marggrauiatus Miſnici II. p. 144.

copetraei. Circa illam habemus *Zembſchen*, *Iaucha*, *Groſs-Grimma* et *Stein-Grimma.*

X. *Burgwardium Brenenſe.*

Ibi Conradus Magnus, Marchio Miſnenſis, monaſterio Montis Sereni donauit et a. 1165. paullo ante obitum, confirmauit decem manſos in *Altorph*, et duos in *Catowe.* m) Vrbs *Brena* ſatis eſt nota. Villae vero dictae hodie non ſuperſunt. *Altorphii* nomen adhuc exhibet riuulus iuxta Landsbergam, qui ſe poſtea in riuum maiorem, *Streng*, exonerat. *Catow* autem villa hodie derelicta eſt, campi illius ad Montem Serenum pertinent.

XI. *Burgwardium Zurbici.*

Eadem donatio in hoc burgwardio exhibet villas *Ruchtendorph*, *Odeleie*, *Smalice*, *Batſice*, *Gordenewice*. *Zurbici* hodie eſt *Zorbeca.* Villae tres mediae nobis ſunt incognitae. Campos *Ruchtendorffianos* arant hodie ruſtici villae *Zoebritz.* *Gordenewice* fortaſſis eſt Goernitz prope Landsbergam.

XII. *Burgwardium Witin.*

In eo fuit villa *Pothegrodice*, cuius termini pertigerunt vſque ad riuum *Godeſſowe.* Vtriusque noſtro tempore nulla memoria ſupereſt. *Wettinum* vero ſatis notum eſt, quum Sereniſſima domus Saxonica originem a Comitibus Wettinenſibus deducat.

XIII. *Burgwardia Barboy et Calue.*

A. 961. Otto I. Imp. cryptae Magdeburgenſi in honorem S. Mauritii et aliorum ſacratae dedit omnem

 deci-

m) Vide Vitam Conradi Magni a me editam p. 328. 327.

decimam, quam Theutoni et Slaui persoluere debent ad ciuitates Barbie et Calua pertinentem, illa decima excepta, quae vsque huc in praefatis locis finibusque illorum, *Magdeburgo* burgwardo, *Froseri* burgwardo, *Barburgeri* burgwardo, *Caueri* burgwardo, fuit soluta. [n]) De burgwardio Magdeburg et Frosa in posterum agemus, cum de burgwardiis extra Saxoniam sermo erit. Miror hic terminationem in *ri*, quae mihi alias non obuenit: nisi forte sit ex lectione imperiti, qui *abbreuiaturam* quam vocant, non satis recte adsecutus est. Eadem, quae hic, iam ex Chronico Magdeburgensi adducta erant: hic maluimus verba ipsis diplomatis repetere. Non possum autem hic assentiri Clar. Walthero, [o]) qui per *Calueri Caluoerdam* intelligit: nam illa terminatio inusitata ipsum eo perduxerat.

XIV. *Burchwardium Koene.*

A. 1147. praedium *Corowe*, in burgwardio Kone situm, permutationis iure, permittente Alberto Vrso Marchione, ad monasterium Gratiae Dei peruenit. Postea a. 1162. Wichmannus, Archiepiscopus Magdeburgensis, decimas burgwardii Kone, vna cum quibusdam villis, monasterio Niemburgensi dono dedit. Ita scripsit Christianus Knauthius in Antiquitatibus Ascaniensibus et Ballenstadiensibus, [p]) quae 1698. pro-

n) Dipl. apud Sagittarium Ant. Magdeb. §. 72. Leuckfeld. Ant. Walhusanis p. 334. Haevecker *Beschr. de Stadt Calbe* p. 18. 19.

o) Singularia Magdeb. VII. p. 99.

p) p. 85. quem secuti sunt Valerianus Bruno in Monumento mutilo in Aquis p. 38. et Haeueckerus de monast. Gratia Dei p. 456. cuius tamen verba mendose impressa ex Brunone sunt emendanda.

prodierunt. Anno ſequenti in Commentario de pagis Anhaltinis, vbi literas Wichmanni eodem modo excerpit, burgwardium vocat *Steno*, cum quo conſentit ipſum diploma, quod Becmanus produxit. De hoc autem iam actum eſt in Spicilegio ſaepius memorato: hic tantum eius rei mentionem facere placuit, ne Lectores duo diuerſa burgwardia ſibi ſingant, quae ex vnius literulae immutatione oriuntur. Nam et illud *Koene* olim in hiſtoria Anhaltina ignotum non fuit, de qua re iam alibi a me actum eſſe memini.

Sequuntur nunc burgwardia trans Albim ſita.

XV. *Burgwardum Cherewiſt.*

In eo a. 1196. ſita fuerunt *Mokerin* et *Steinboge*, quae Otto II. Marchio Brandenburgenſis, Eccleſiae Magdeburgenſi donauit. *Moeckerinum* vrbs nota eſt, *Steinboie* hodie eſt Stekeby in agro Serueſtano ad Albim.

XVI. *Burgwardia Wiſenberg, Coſſewitz, Dobin, Wittenburg, Zane, Alſtermunde.*

Occurrunt in diplomate poſt a. 1180. dato, quo Waldemarus, Epiſcopus Brandenburgenſis, praedia et poſſeſſiones monaſterii Liezeke confirmauit. Neceſſitas vero vrget, vt verba ipſius documenti deſcribamus: *Sciendum quoque eſt, quod Prepoſitus Eccleſie b. Marie in monte* Liezeke a predeceſſoribus noſtris, ſimulque a nobis curam Eccleſiarum et Archidiaconatum tenet, et vicem Epiſcopi gerit in *omnibus Eccleſiis, que infra* Albiam *et* Hauelam *continentur, ab ortu ipſius* Hauele *vſque ad terminum eius, ab ortu vero* Hauele *ſurſum deficientibus terminis per ſubſcriptos* Burchwardos eundem archidiaconatum determi-

terminantes ſcripto preſenti communimus: totum videlicet *Burchwardum* Loburg, *preter duas villas* Vibas *et* Zojas, *quas* Hauela *excludit*, *Burchwardum quoque* Wiſenberg, *et circa* Albiam, Coſſewitz, Dobin, Wittenburg, Zane, Alſtermende, *cum omnibus Eccleſiis infra hos terminos conſtitutis.* q) Primo quidem dubium alicui videri poſſet, an *Coſſewitz*, et quae ſequuntur, burgwardiis adnumerari debeant. Quamuis enim *burgwardorum* mentio iniiciatur, numero plurali, tamen *Loburg* et *Wieſenberg* huic numero poſſent ſatisfacere: et quia reliquis illis quinque locis burgwardorum nomen expreſſe non additur, timide ſane hos ſeriei burgwardorum adſcribo. Interim non nego, hoc ſtare pro burgwardis, quod in hoc diplomate reliquis locis villarum nomen additur, his vero non item. Admittantur igitur in numerum illorum, donec quis certiora nos edoceat. Sed ad rem. *Wiſenberg*, hodie *Wieſenburg*, Belticio proximum, arx Brandiorum de Lindau, munimentum aiunt ab Alberto Vrſo contra Slauos fuiſſe exſtructum. *Coſſewitz*, nunc *Coswig*, vrbs Anhaltinorum Principum ſatis nota. *Burgum* h. e. arcem ibi quondam fuiſſe, docet Becmanus. *Dobin*, villa haud procul a Witteberga, in qua veſtigia arcis dominorum de Dobbin, qui a. 1215. viguerunt, conſpicienda. *Zahna*, vrbs nota. *Alſtermunda*, quod latine vertas, oppidum ad oſtium Aleſtrae ſitum, olim quoque *Elſterberg*, nunc *Elſter* dicitur, et hodieque rudera arcis antiquae oſtendit. r)

XVII.

q) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. II. p. 434. et Leuckfeld. de monaſt. Gratia Dei p. 121.

r) Adde Thorſchmidii Antiquarium Saxonicum p. 6. et Chr. Frid. Zeibichium *von dem Alter der Stadt* Wittenberg p. 17.

XVII. *Burgwardum Schillau.*

A. 1091. datum eſt priuilegium Henrici IV. Imp. ſuper ſex villis, *Mokozice*, *Potzance*, et quatuor aliis in burgwardo *Schillau.* Actum Mantuae, anno Imperii eius 26. Huc vſque excerpta diplomatis, quod in antiquo Codice inueni Eccleſiae Miſnenſi fuiſſe datum. Quem vero huic burgwardio locum tribuam, adhuc ſum incertus. Habemus monaſterium *Schillen*, et villam quoque haud procul ab vrbe Miſena diſſitam *Zſcheila*, quae olim *Schylow* dicta eſt. Si de villis *Mokozice* et *Pozance* res clara eſſet, pronunciare aliquid liceret. merae vero in his adhuc ſunt tenebrae.

XVIII. XIX. XX. *Burgwardia Dalgawitz, Dobrus et Zizno.*

Triga haec burgwardiorum memoratur in diplomate anni 1228. cuius apographum lingua tantum germanica ad me perlatum fuit, ſic vt tria illius exempla ad me peruenerint. Quamuis igitur fieri poſſit, vt loca quaedam a deſcriptoribus peſſime ſint habita: tamen, quia monumentum hoc Geographiam medii aeui mirifice illuſtrat, operae pretium erit, aliquod illi temporis et otii dare. Variantes autem lectiones ſubiicere viſum eſt, an forte illarum opera in poſterum lux maior quibusdam locis accendi poſſit. Quae circa burgwardia et totam Geographiam hic monenda ſunt, ea in annotationibus ſubiectis a me pro viribus illuſtrabuntur. Diploma disiungit terminos Epiſcopatus Miſnenſis et regni Bohemiae, et ſic habet. [s])

Im

s) Meminit huius diplomatis Fabricius in Annalibus vrbis Miſnae p. 105. ſed his tantum verbis: A. 1213. *Bruno*

Im Nahmen der unzertheilten Dreyfaltigkeit, Wir Wenceslaus *der Jüngere König in* Böhmen. *Demnach unser allerliebster Herr Vater,* Ottocarus, *der Allerdurchl. König, den Gebrechen und Irrung, welche sich mit dem Ehrwürdigen Herrn* Brunen *Bischoff zu Meissen, von wegen der Güter, Grentz und Reinungen zwischen* Zagost [t]) *und* Budissen *erhaben, den Edlen Mannen,* Burchardo *von* Gnaschwitz, Bernhardo *von* Camentz, Reinhardo *von* Withow, Schwizero *von* Theelen, Christiano *von* Gerlach *von* Landskron, Rudolpho

Bruno II. praesul cum Premislao rege Boëmiae negotium de finibus inter Budissinam et Zagostam transigit.

t) *Zagost* est pagus Sorabicus, huc vsque non satis cognitus. Eius igitur notitiam aliquam nunc quidem dare constitui: forte alii in posterum tempus certiora dabunt. Prima eius mentio iniicitur a. 1144. in transactione Conradi Imp. cum Meinhardo, Misnensium Episcopo, cuius verba huc spectantia excerpo. *In prouincia Zagost villae Episcopi ab edificatione castrorum Marchionis absolute, publicas tamen vigilias faciant.* Dedi hoc diploma in vita Conradi Magni, p. 297. Sequitur illud, quod tempore Martini Episcopi, qui circa a. 1190. fato suo functus est, Conradus de Kitlitz, montem apud Zagost, cui nomen erat *Syden*, vna cum aliis ecclesiae possessionibus, occupauit, ob eamque rem censura ecclesiastica percussus est. Tertia eius mentio fit in praesenti diplomate: quarta in confirmatione illius a. 1241. suscepta, cuius Fabricius p. 344. meminit: vbi tamen *Brunonis* praesulis nomen in *Conradi I.* mutandum. Quod si quis obiiciat, nomen pagi nusquam illi additum inueniri, huic regero, sufficere mihi nomen *prouinciae*, quo in charta anni 1144. modo adducta, *Nisan*, et *Milse*, et cum illis noster *Zagost*, mactantur. Atqui vero nomen *prouinciae* et *terrae* saepenumero etiam pagis tribuitur.

dolpho *von* Godaw, Hermanno *von* Lubecho, Florin *von* Gorlitz, *bey ſchuldig gethanen Eides-Pflichten zu unterſcheiden befohlen. Und weil denn ſelbe manne gemeldter Orte Grentzen einträchtiglich unterſchieden, als halten wir genehm und bekräftigen das mit kegenwertigen Briefe und unſern angehenkten Siegel, ernſtlich aus Unſer Königl. Gewalt und Autorität gebietend, daſs ſolche Unterſcheidung unverbrüchlich gehalten werde beyde in nu erbaueten Gütern, und die da noch möchten gebauet werden, ſamt allen Zugehörungen, wie mit mehren verzeichnet.*

Von der Nyza [u]) *gegen* Pohlen [x]) *gerichts biſs auf den Berg* 1. Jozwincha, [y]) *von demſelben biſs auf*

Variae lectiones. 1. Jozvvinicha.

u) *Nyza* fluuius eſt Luſatiae, hodie *Niſſa*, germ. *die Neiſſe.* Sed obſcure hic loquitur diploma. Terminum a quo ponit Niſſam, ſed non addit, de quanam regione Niſſae loquatur: an de prima illius origine in Bohemia, an vero de Luſatia. Videamus, quid ex ſequentibus colligendum ſit.

x) *Polonia* hic eſt Sileſia, quippe quae olim Poloniae pars fuit, cuius Principes, Piaſtorum ſanguine oriundi, a Polonis defecerunt, et ſe Bohemiae ſubdiderunt.

y) Hoc nominis quid ſit, neque Sorabi, neque Bohemi, a me conſulti, explicare potuerunt, quia poſt tantum temporis interuallum linguae varias mutationes passae ſunt. Hoc igitur futuro tempori reſeruamus: illud hic ſemel monentes, illorum locorum, de quibus certi nihil conſtat, nullam in his annotationibus mentionem fieri. Vſus ſane ſum in finibus Bohemiae perquirendis tabula Bohemiae maxima, quam ante hos XVIII. annos dedit Io. Chriſtophorus Mullerus, ſed parum inde in rem meam ſubſidii licuit elicere: adeo poſt tantum temporis interuallum omnia ſunt immutata.

auf die Hügel Kamenikapkidwa, [z]) *von dar biſs in die Ecke* Jakitſipozkaki, 2. *fürder biſs auf den Berg* Tizow, *von dannen biſs in* Mohlich, 3. *ferner biſs an das Begräbniſs* Winithopiz, 4. *von demſelben biſs an den Bach* 5. Quiez, [a]) *daſelbſt iſt eine Unterſcheide aufgehöret, denn die Reinung zwiſchen* Zagoſt *und* Pohlen *noch nicht ergangen.*

Item gegen Böhmen *von dem Berge* 6. Swedinzo, [b]) *auf den* Biſchowe *dem gröſſeren,* [c]) *und fürder auf den kleinen* Biſchowe, *von dannen in* Zuchidol, [d]) *fürder biſs* Nokithowiker, 7. *ferner zum Begräbniſs* Dwszaunipz, 8. *von dannen biſs an den Fluſs* Rohnow, 9. *fürder biſs an den* Neiſs, [e]) *von der* Neiſs *hinauf biſs*

2. Jakuthipozkaki. 3. Mozlich. 4. Winithopez. 5. Quierz, Quiezt. 6. Schvvesnizo. 7. Nokichovviker. 8. Dvvszourupz. 9. Kohren.

z) *Kamenikapkidwa* Bohemice denotat duos paruos lapidum aceruos: ſed locus eſt ignotus.

a) *Quiez*, niſi me omnia fallunt, eſt Quiſſus, fluuius Luſatiae ad fines Sileſiae.

b) *Schwedinzo.* Duae ſunt villae, *Groſs- und Klein-Schweidnitz*, ad fluuium Lubanam, qui Loebauiam perfluit, et nomen illi dedit: poſteriori contiguus eſt mons, qui h. l. indigitatur.

c) *Biſchowe.* Duae ſunt villae, hodie *Groſs- und Klein-Biſchdorff*, ad orientem Loebauiae, in finibus Circuli Goerlicenſis, ſed quae Miſniae adnumerantur. Terminatio Slauica mutata eſt hodie in Germanicam.

d) *Zuchidol* eſt Sorabicum a *ſsuchi*, quod denotat *aridum, et dol, vallem.* Poterit eſſe *Dürr-Hennersdorff* prope Zittauiam ad fines Bohemiae. Ratio coniecturae eſt, quia *Ronau*, cui fluuius cognominis memoratur, non procul inde ad Niſſam ſita eſt.

e) *Cameniza*, riuus in Niſſam ſe exonerans. Villa *Kemnitz* haud procul *Biſchdorffio* ſita eſt, cui forte riuus ille nomen dedit.

biſs an den Ort, da die Cameniza *hinein flieſst, biſs zu End, da ſie entſpringt. Alles, was in dieſem Zirck begriffen, ſtehet dem Biſchoff von* Meiſſen *zu.*

Vom Burgwardo Dalgawitz, f) *des Orts, da die* Lubana *und* Oſtrosniſa *zuſammen flieſſen, biſs zu dem Fluſs* Peſtaw, g) *welcher in die* Ognoſnizam 10. *flieſst, und biſs zu derſelben Urſprung, von dannen biſs an den Steig* Bethozkinza, 11. *und biſs auf den Berg* 12. Jhelenagora, h) *von dannen biſs an den Urſprung des Fluſſes* Kameniza i) *und an deſſelben Fluſs hinab, biſs an die Unterſcheid* Zagoſt *und* Budiſſen, *von dannen biſs an das Waſſer die* Sprew *genannt, welche flieſst durch* Gerhardsdorff, k) *den Fluſs hinab biſs an den alten Weg nach* Jawornich, l) *und von demſelben Wege gegen* Bubſin *in die* Sprew, *die da durch das Dorf* Salom m) *flieſst, an demſelben Fluſs hinab biſs in den Bach*

10. Ozonosnizam. 11. Brchozkaniza. 12. Wlenagora, Rkenahgora.

f) *Dalgawitz.* Nullum hodie huius exſtat veſtigium. Confluentes vero Lubanae et Oſtrosniſae, qui riuus forte eſt, ad quem vtrumque *Cunnersdorff*, *ſuperius* ſcil. et *inferius*, ſitum eſt, locum illius docent.

g) *Peſtow.* Forte eſt riuus, qui per vtrumque Biſchdorffium fluit.

h) *Ihelenagora*, germ. *Hirſchberg.* Mons eius nominis ſitus eſt haud procul Loebauia, ad fines Circuli Gorlicenſis.

i) Origo riui *Cameniza* eſt iuxta Ebersbach, et Niſſam verſus fluit.

k) *Gerhardsdorff*, hodie *Gersdorff* vel *Giersdorff*, non procul a fontibus Sprewae, in ipſis Bohemiae finibus.

l) *Jawornich*, hodie *Jawernik*, haud procul a Soland. *Jedla* poteſt eſſe *die Böhmiſche Scheidebach:* alias vox illa latine *aream trituratoriam* denotat.

m) *Salom*, forte eſt *Soland* ad Spreuam.

Bach Jedla, *und den Hügel, ſo gerichts gegen über liegt. Von dannen biſs an die Steige, da man nach* Gluſſina [n]) *ins Thal gehet, und durch daſſelbe Thal biſs in* Lubanam. *Und alles, was nun in dieſem Umkreiſs beſchloſſen, gehöret zum Biſsthum* Meiſſen.

Vom Burckwardo Dobrus, [o]) *vom alten Fels jenſeit der Sprew* Damboronbrod, [p]) *von dannen biſs auf den alten Steig, da man nach* Welethin [q]) *gehet, und alſo auf demſelben hin biſs gen der* Sebenizam, [r]) *an dem Ort, wo vor Alters ein Einſiedel oder Cläüſsner gewohnet.* [s]) *Item von der andern Seite, von dem*

n) *Gloſſina*, hodie *Gloſſen*, haud procul Kitlicio, in finibus Goerlicenſibus paullo remotius eſt, quam vt hic locum habere queat.

o) *Dobrus* burgwardium non adeo magnum nobis negotium faceſſit: nam et locus adeſt, hodie *Doeberſchau*, vno fere milliari a Budiſſa diſtans ad Spreuam fluuium, in ipſis Miſniae noſtrae finibus: medio aeuo *Dobriſch.* Et veſtigia burgwardii hodieque ſuperſunt in monte, quem *Burgberg* vocant, teſte Indice clientelarum, ſiue, vt barbare vocant, Regiſtro feudorum Epiſcopatus Miſnenſis, quod in Appendice hiſtoriae Wurcenſis primus edidi, p. 27. Sorabi vocant *Radziſzo*, quod arcem ſiue munimentum denotat. quo nomine in Luſatia ſuperiore paſſim rudera arcium, cadauera vocat Cicero, ſuperſunt.

p) *Damboronbrod* Sorabice denotat vltra ripam. Inde a *Dobrus* via eſt ſatis trita, quae Wilthenam ducit.

q) *Welethin*, hodie *Wilthen*, villa, quae olim ad Haugwicios ſpectabat, nunc generoſorum eſt Brauniorum.

r) *Sebeniza* riuus eſt, qui oppido *Sebenicio* nomen dedit, ſatis notus.

s) Memoria huius Eremitae diu, et vſque ad noſtra tempora, perdurauit, quod teſtatur nomen loci *Einſiedel* in Bohemia ad Sebenizam.

dem Hügel, der da liegt zwischen Kosseritz [t]) *und* Nowazodlitz, *biss ins Wasser, die* Zeherre *genannt, biss auf den* Oium, *von dannen biss auf den grossen Weg nach* Neukirchen, [u]) *biss an* Rothflessigen, *an dem Fluss hinab biss in* Wazonizam: *Fürder biss an* Tizow *und auf den Berg* Buchswagora, [x]) *von dannen biss auf die Höhe des Berges, da der Bach entspringt* Welewiza 1. *und* 2. Zalatwina, [y]) *von dannen biss an* Geburzam *den Fluss hinauf, biss an den Ort, da der ehe gemeldte Cläussner gewohnet. Was in diesen Reinen und Bezirck begriffen, gehöret zum* Meissnischen *Bischoffthum*

Item vom Burgwardo Zizno [z]) *durch den Steig von* Sizen *biss in die* Godowizam, [a]) *von dannen biss auf*

1. Sic omnia exempla, sed procul dubio legendum Weseniza. 2. Zalevvina.

t) *Kosseritz.* Est aliqua villa, hodie *Gosser*, olim *Gosserin* dicta, in finibus Misniae, cui vicina est *Neudorff*, quod ipsum Sorabicum est *Nowazodliz.* Quanquam fateor, viciniores esse burgwardio Dobruz villas duas, quae hodienum *Weiss-* et *Schwartz-Nauslitz* indigitantur.

u) *Neukirchen*, villa Lusatica ad Wesenizam, ibi mons est, forte quondam *Oium* dictus: vltra quem riuulus *Rothflössgen*, ad quem sita est villa *Roth-Nauslitz*, inde hoc additamentum habens.

x) *Buchswagora*, Sorabice *montem fagorum*, denotat, est silua iuxta Neukircham, vbi Weseniza exoritur.

y) *Zalatwina*, forte est *Tautewalda*, villa vicina: certe nomen habet aliquid similitudinis.

z) *Zizno* burgwardum, hodie *Seitschen*, quae villa duplex est, *maior et minor*, haud procul a villa nobili *Goeda*, olim *Godiwo*, quae magnum nomen est in historia Episcopatus Misnensis. Locus elatus, quem *munimentum* (*Schantze*) vocant, adhuc superest.

a) *Godowiza* est riuus, qui per Goedam transit.

auf den Berg Cossau, [b]) *von demselben auf den Hügel, neben dem Wege, da man nach* Budissin *gehet*, Zochau, [c]) 3. *von demselben Wege bis an den Weg zu* Günthersdorff, [d]) *von dannen biss an den Fluss* Gucz 4. *und in den grossen Fluss*, *von* Gucz *in die* Kadel *und in die* 5. Lamenagora, [e]) *von dannen biss auf die Höhe des Berges zwischen* 6. Poczin [f]) *und* Lipovvagora, [g]) *von dannen gen* Pelitopoch, *und also fort biss in die* Wazounizam, *von dannen biss auf den* Isenberg, *von dannen biss an den Ort*, *da die* Lawen [h]) *und* Poliza *zusammen fliessen*, *an dem Fluss* Poliza *hinab*, *biss die* Lozna [i]) *dareinn rinnt*, *von der* Lozna *biss*

3. Zothau. 4. Guffiz, Gurz. 5. Kamenagora. 6. Porzen.

b) *Cossau*, mons in illa vicinia, hodie *Kuntzberg*.

c) *Zochau*, hodie *Zucka*, in Registro feudorum *Czoka*.

d) *Günthersdorff* hodieque superest, cui vicinus est riuus *Gutz*, villam cognominem, hodie *Gausig*, transiens.

e) *Lamenagora*, nunc der *Laemmerberg* apud Neukircham.

f) *Poczin*, forte est *Putzkau*, olim *Potzkau*, in Indice feudorum laudato.

g) *Lipagora* denotat *montem tiliarum*, et adest mons prope Neukircham, qui *Linsberg* dicitur.

h) *Lawa* vel *Laba* est Albis. *Poliza* est riuus, die *Polentzbach*, qui villae *Polentz* iuxta Neostadium nomen dedit, Sebenizam in se recipit, et se in Albim exonerat. Cursum eius riui describunt *Io. Michaël Weissius* in Topographia Hohensteinensi c. 5. p. 47. et *Grünbergius* in hist. Schandauiensi p. 2.

i) *Lozna*, (pronunciandum est *Losna*) est riuus, qui per villam *Losdorff*, Hohensteinio propinquam, fluit, et in Sebenizam illabitur: hodie *Schwartzbach* vocant. Paullo post additur *Lozno* in Wazonizam influere, quod arbitror vitium esse descriptoris, qui Sabinizam ponere volebat.

biſs in die Sabnizam, und alſo fort biſs an den Ort, da die Vermahlung gelegen, gehöhren dem Herrn Könige.

Item das ſind die Reinung und Mahlzeichen, welche unterſcheiden Godaw *und des Königs Gebiet. Von dem Ort des Steigs von* Sizen *durch die Vermahlung* Rudel, Caminagora, Belitoboch *und an der* Lozni *hinab biſs an die* Sabenizam, *von dannen biſs da die* Lozno *entſpringt, und fürder hinab, biſs da ſie in die* Wazonizam *flieſst, von dannen an der* Wazoniza *hinab biſs an den Erlen-Buſch, von dannen biſs auf den Berg* Seitko, 7. *und förder an* Fiſchbach k) *biſs an die* Redern, l) *welche durch die* Seligenſtadt *fleuſst zwiſchen* Franckenthal *und der* Harth, *von dannen mitten in den Pfuhl, welcher iſt zwiſchen* Ramnau m) *und* Giſelbrechtsdorff, n) *von dem Ort an biſs an* Weiſſenſtein *und biſs an den Brunnen nahe bey* 8. Tutitz, o) *von dannen biſs in die* Trebnizam, p) *alles, was*

7. Sütkovv, Senikovv. 8. Turiz.

k) *Fiſchbach* in praefectura Stolpenſi ſatis notum.

l) *Redera* fluuius notiſſimus: Sed hoc loco riuus intelligitur eiusdem nominis, qui oritur ex piſcina, quem vulgo *Roederteich* vocant, et deinde cum Redera maiore coniungitur.

m) *Rammenau* et *Franckenthal* in Luſatiae finibus exiſtunt.

n) *Giſelbrechtsdorff*, medio aeuo *Geiſelsdorff*, vt ex Indice clientelario conſtat, hodie *Geismannsdorff*, olim Bolberitziorum, nunc Senatus Biſchoffswerdenſis praedium. Vide Heckelii hiſtoriam Biſchoffsw. p. 177.

o) *Tutitz*, in Indice laudato *Teutitz*, Biſchoffswerdenſes vocant *Teupitz*, teſte Heckelio: ſed hodie locus eſt deſertus, *eine wüſte Marck.*

p) *Trebenitzam:* riuulus eſt per vtramque *Trebenitz*, maiorem et minorem, haud procul Biſchoffswerda, tranſiens.

was zwischen diesen Mahlen gelegen, gehöret zum Bischoffthum Meissen.

Item zwischen 9. Prisitz q) *und Camentz durch den alten Weg, da man von* Budissen *gehet nach der* Elle 10. *an dem alten Gestade jenseits der* Alestra r) *und alsofort biss in* Tieffenthal, *von dannen biss jen der* Polssniza, s) *von der* Polsniza *biss zu dem Ort, da die* Lussne *drein fliesst, biss unten an den Berg* Radewitz, *und biss an den Steig* Privizla, *von dannen an dem Berge und Steige hinab nach* Budissen *in die grosse* Polssnizam, *und auf denselben Steige biss an die kleine* Polssnizam, *von dannen an den Fluss* Tussin, *biss da derselbe entspringt, von dannen in* Jawor, *und an den* Jawors *Fluss hinab, biss an die alten Aecker, so vorzeiten gebauet.*

Und demnach an etlichen Orten gegen Budissen *keiner Vermahlung gedacht, kömmt daher, dass die Noth gar nicht hat erfordert, dieweil dieselbe vor Alters her gehalten, und nicht streitig gewesen seyn. Dass aber die äusersten Orte verzeichnet und unterschieden seyn, haben die neue umgerissene Güter, die da Zweifel einführen, geuhrsacht.*

Und darum sind wir geneigt und gemeinet, solche Vermahlung treulich zu halten, in brauchhaften 11. *und*

9. Prisiz, Prissz. 10. Elben. 11. bauhaften.

q) *Pritzsch*, contractum hoc est, pro *Pritschwitz*, quae villa septentrionem versus a Goeda sita est.

r) *Alestra* fluuius, hodie *die Elster*, vulgo *die schwartze Elster*, fontes habet in Lusatia, inter Camentiam et vrbem Koenigsbrück.

s) *Polssniza*, fluuius oppido cognomini adiacens. Sed differentia inter maiorem et minorem *Polsnitzam* hodie ignota est.

und unbrauchbaften Gütern, sammt allen ihren Zu- und Eingehörigen, welche und so viel deren in angezeigten Mahlen begriffen, und dem Bischoffthum zu Meissen zugehörig sind. Bekräftigen solches bey Königl. Bann und Frieden.

Sequentia ex incuria exciderunt, quae ad annotationem primam sunt addenda.

Et hunc annum praefert etiam apographum nostrum: sed perperam. Nam a. 1228. demum Wenceslaus a Bohemis rex electus: pater vero illius biennio post fatis concessit. Igitur alia nunc aera quaerenda est, quam suppeditant Excerpta diplomatis inediti: *A. 1228. quum Ottocarus Bohemiae rex et filius Wenceslaus, suasu quorundam, fines inter regem et Episcopum, vtriusque consensu determinatos, turbarent, Sifridus, Archiepiscopus Magdeburgensis, rem eo perduxit, vt finium descriptio, quae inter illos conuenerat, confirmaretur.* Hunc igitur annum documento nostro tribuendum esse censeo, quia tunc Wenceslaus regis axiomate gauisus, Bruno vero, secundus eius nominis, Episcopus, tunc adhuc viuis adnumeratus fuit, anno sequenti fato suo functurus. Quae quum ita sint, auguror, primam illam transactionem, quae hic confirmatur, a. 1213. fuisse susceptam. Ad nouam eius transactionis confirmationem a. 1241. initam prouocat finis apographi nostri, et quidem testem citat vitam Wenceslai Ottocari: quae vita multum forte lucis adferret, sed nescio, vbi quaerenda. Vestigia quaedam negotii tradit Fabricius, his verbis: *A. 1241. limites terrae Zagostae et Budissinensis constituuntur a rege Wenceslao et Brunone praesule,* (atqui tunc regebat Conradus I.)

dus I.) *propter quos multae contentiones fuerunt, et graues controuerſiae. Subſcripſerunt praeter alios Albertus dux Saxoniae, et Ditericus comes Brenenſis. Non. Maji.*

Emenſus itaque iter ſum ſatis quidem taedioſum, ſed poſt labores exantlatos non prorſus iniucundum: Jucunditate quippe perfunduntur hiſtoriarum cultores, cum ſtatum patriae priſcum aliqua ex parte perſpectum habent. Videamus nunc, quid exinde poſſit addiſci: I. Pagum *Zagoſt* inter terram ſiue pagum Budiſſin et Bohemiam eſſe ſitum, et fere ad Sileſiam vſque pertingere. Haec nemo adhuc nouerat eorum, qui Geographiam mediam eruere conati ſunt, et ipſe, cum de pagis Sorabicis commentarer, eius nullam rationem habui. Nunc video, multa eſſe mutanda, praecipue quod ad Milcienos pertinet, de qua re porro cogitandum erit. II. Multas eſſe villas, quarum hodie nullum veſtigium ſupereſt, et tamen notitia illarum aegre deſtituimur. III. Nomina fluuiorum et riuorum etiam vrbibus et villis eſſe communia, quae obſeruatio magnam variis perquiſitionibus lucem accendit.

XXI. XXII. *Burgwardia Sulza et Tuchwiba.*

De his teſtatur diploma ſequens huc vſque nondum editum:

C. In nomine ſancte et individue Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia rex. Si locis Deo dicatis, juxta petitiones dei ſervorum noſtrorumque fidelium, aliquid beneficii de noſtra habundanti copia conferimus, nobis profuturum ad temporalem tranſigendam, et ad eternam vitam feliciter obtinendam, liquido credimus. Quapropter pateat omnibus Chriſti noſtrique*

ſi de-

fidelibus, tam futuris, quam presentibus, qualiter nos pro remedio animarum parentum nostrorum, et ob utriusque vite propriam et veram felicitatem, scilicet nostri et Agnetis *regine nostre contectalis dilecte, sancte* Nuwenburgensi *ecclesie sub honore Sci Petri constructe, tale predium, quale in uilla, que dicitur* Chrolpe *in Burchwardo* Sulza, *et quale in villa* Widotha *in Burchwardo* Tuchwiha, *et in* Misnensi *Marchia nostre ditioni uisum est subjacere, cum omni integritate, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, edificiis, agris, campis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, siluis, venationibus, exitibus et reditibus, uiis et inuiis, quesitis et inquirendis, cum omni utilitate, quae ullo modo inde poterit prouenire, in proprium tradidimus. Ea uidelicet ratione, ut uenerabilis sancte præfate ecclesie presul* Eberhardus, *omnesque successores ejus, de prefato predio liberam dehinc potestatem habeant obtinendi, tradendi, commutandi, precariandi, vel quicquid sibi placuerit, ad usum sancte ecclesie inde faciendi. Et ut hec regie nostre traditionis auctoritas stabilis et inconuulsa per succedentium temporum momenta permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Signum Domini Heinrici *tercii regis invictissimi.*

Theodericus *Cancellarius vice* Bardonis *archicancellarii recognovi.*

Data IIII. Id. Sept. Anno dom. incarnat. Mill. XL. VI. Indict. XIIII. Anno autem domni Henrici *tercii ordinationis ejus XVIII. regno vero VIII. Actum* Auguste, *in Christi nomine feliciter, Amen.*

Sulza non multum nobis operae facesset. Oppidum est Thuringiae ad Ilmum fluuium, coctura salis, vnde et ipsi nomen, non incelebre. Antiquissimum esse non hae solum literae, sed et aliae docent a. 1064. datae, ex quibus simul constat, iam tum ibi fuisse monasterium, quod successu temporis in Collegium Canonicorum fuit mutatum. Reliqua illius nunc non adtingimus. In valle quidem vrbs sita est, sed montibus vbiuis circumdata, ex quibus, docente Matthaeo Willio, illius vrbis historico, vnus est, qui dicitur *Castellum Vetus, die alte Burg*, quod est ipsum hoc nostrum burgwardium. An idem *Castelli Salis, der Saltzburg*, nomine venerit, quod Auctor dictus adfirmat, [t]) non facile dixerim; certe nullam probationem Auctor adiecit. Villa *Croelpa* sita est cis Salam, non procul ab influxu Ilmi, et villa Saleck.

Alterum Burgwardium est *Tuchwiba*, in qua sita fuit villa *Widotha*. Haec possit esse *Wita* vel *Weta*, ad riuum cognominem sita, quae iuxta Schoenburgum, arcem veterem, in Salam influit. Sed de *Tuchwiba* adhuc incertus sum. Habemus *Taucham*, villam ad riuum Rippach, iuxta oppidum Moelsen. Sed obstat hoc, quod illa olim dicta est *Tuchin*, sita a. 1041. in Burgwardo Trebeni et pago Zcudici. [u])
Igitur ampliandum censeo, donec tempus nos certiora doceat. Magnae adhuc sunt tenebrae in Geographia medii aeui, et nostrarum quoque regionum, quae non nisi tempus futurum discutiet.

XXIII.

t) Willii Top-hali-graphia Sulzensis p. 2. 21.
u) Dipl. apud Schamelium in Miscellaneis *von der Probstey Schkoelen*, p. 41.

XXIII. *Burgwardum Langenberch.*

Conceſſum eſt ab Henrico IV. Imp. a. 1060. eccleſiae Numburgenſi, quod docent literae ſequentes:

C. In nomine ſancte et individue Trinitatis. Heinricus *divina favente clementia Rex. Omnium fidelium noſtrorum, tam preſencium, quam futurorum pie devocioni pateat, qualiter nos pro remedio anime noſtri genitoris* Heinrici *felicis memorie, nec non per interventum matris noſtre* Agnetis *Imperatricis auguſte et* Annonis Colonienſis *archiepiſcopi, et ob fidele ſervicium* Eberhardi Nuenburgenſis *epiſcopi, burcwardum* Langenberch *dictum, juxta fluvium* Elſtera, *in comitatu* Ottonis *marchionis ſitum, cum ceteris bonis et judiciis ad illud pertinentibus, hoc eſt, utriusque ſexus mancipiis, areis etc. - - - in proprium dedimus eccleſie* Nuwenburgenſi, *Ea uidelicet ratione, ut predictus epiſcopus* Eberhardus *omnesque ſucceſſores ſui de prefato burcwardo liberam poteſtatem habeant tenendi, dandi, commutandi, precariandi, vel quicquid eis pro ſue eccleſie uſu inde placuerit, faciendi. Vt ergo haec noſtra regalis donacio ſiue confirmacio ſtabilis et inconuulſa omni permaneat euo, hanc cartam inde conſcriptam manu propria corroborantes ſigilli noſtri inpreſſione juſſimus inſigniri.*

Signum Domini Heinrici *quarti regis.*

Fridericus *Cancellarius vice* Sifridi *Archicancellarii recognovi.*

Data XIIII. Kl. decembris, Anno dominice incarnationis M. LX. anno autem ordinac. Heinrici *quarti regis VII. Indict. XII. regni vero IIII. Actum ad* Walahuſan, *in Dei nomine, Amen.*

Castrum illud *Langenberg* hodieque adest, ad Elistrum fluuium, haud procul ab vrbe Gera dissitum.

XXIV. *Burgwardum Schonburg.*

Occurrit recentioribus adhuc temporibus, quum alibi burgwardiorum nulla superfuit mentio: nam et seculo XV. quod supra docuimus, districtus in his regionibus burgwardum vocabatur. En vero tibi diploma:

In nomine Domini, Amen. Ne vite gesta ab hominibus, in oblivionem deveniant, eternari solent testimonio literarum. Hinc est, quod nos Henricus *Dei gratia* Numburgensis *ecclesie Episcopus, recognoscimus, et presentibus literis publice profitemur, Quod Reverendus in Christo pater ac dominus, dom.* Vlricus, *ejusdem ecclesie Episcopus, bone memorie, noster predecessor, aliquibus retroactis temporibus novem mansos sitos in campo ville* Czebekur *alienasset ab ecclesia sub hac forma, videlicet, quod apud dominum Abbatem et conventum monasterii* Portensis *proprietas dictorum mansorum remaneret, et in recompensam ipsorum dominus Abbas et suus conventus predictus, trium marcarum redditus in districtu castri* Schonburgk, *quod proprie* Borcwarte *nuncupatur*, Numburgensi *ecclesie compararent: quamdiu vero huiusmodi redditus ecclesie comparassent, Abbas, qui pro tempore esset, tres marcas dominis et Capitulo ecclesie* Numburgensis, *de claustro annis singulis ministraret. Cum vero predictus dominus* Vlricus *ingentibus ecclesie sue necessitatibus de aliqua summa pecunie indiguisset, pro eisdem tribus marcis, de consensu sui Capituli, triginta marcas argenti a domino Abbate et suo conventu predicto, renunciante Capitulo in eisdem mansis omnibus juribus, acceptavit, quam pecu-*

pecuniam dominus Vlricus *Episcopus predictus in necessarios usus ecclesie distribuit et convertit. Sed reverendus pater ac dominus sepedictus nobis, ne tam consolacio Canonicorum suorum, quam anniversarii de eisdem bonis in ecclesia instituti, aliqualiter deperirent, quoddam molendinum situm in villa* Cruppen *cum viginti septem modiis ordei, qui dantur de septem mansis Episcopalibus sitis in campo ville ejusdem, in restaurum predictorum bonorum, ad Ecclesiam et Capitulum* Numburgense *transtulit pleno jure. Nos vero propter carenciam privilegiorum et literarum, que, ut intelleximus, per negligentiam sunt distracta, ipsum molendinum et ordeum predictum ad nos et mensam nostram Episcopalem resumsimus, sicut prius. Sed quia nunc de negocio et facto plenius sumus instructi, et nobis domini et canonici nostri pro voluntate nostra in aliqua summa pecunie gratuite subvenerunt, cavere summa diligentia volumus, ne per nos aut nostros successores et Capitulum, dubium de predicto molendino seu ambiguitas de cetero oriatur, sepedictum molendinum in* Cruppen, *cum omni emolumento, jure, fructu et utilitate, que ipsi nunc insunt, seu in futurum inesse poterunt, cum viginti septem modiis ordei, prenotatis Ecclesie et Capitulo* Numburgensi *dedimus, donavimus et tradidimus, et presentibus damus, donamus et tradimus de consensu totius Capituli, proprietatis titulo perpetuo possidendum: nichilominus predictum molendinum ab omnibus exactionibus, precariis seu vexacionibus quibuscunque, a nobis et a nostris Advocatis institutis, liberum esse volumus et solutum, Ita tamen, vt qui obedientiarii dicti molendini fuerint, Anniversarios istos, videlicet Anniversarium* Adelheidis *Comitisse, qui est pridie Idus Februarii, Anniversarium* Ludouici *Comi-*

tis, qui eſt pridie Nonas Maji, Anniverſarium Adelheidis *Comimitiſſe, qui eſt XIIII. Kl. Septembris, peragi faciat, prout ſunt primitus inſtituti. Verum qvum de pecunia nobis per Capitulum data domini* Ludovici *de* Deinſtete, *noſtri Canonici bone memorie, pars exiſtat aliqualis, volumus et ſtatuimus, ut Iidem obedientiarii Anniverſarium ſuum ſimiliter in eccleſia peragi faciant, in hunc modum videlicet, ut Canonico preſenti in choro ad vigilias dentur ſex denarii, Vicario Chori iij denarii, Capitulo vij denar. et totidem in miſſa pro defunctis. Eccleſiaſticis dentur IIII. denar. Item quinque modii anone ad Stipam cum talento ad cereum procurabitur. In cuius rei teſtimonium preſentem paginam ſigillo noſtro ac noſtri Capituli fecimus communiri. Et nos* Erneſtus *Dei gratia prepoſitus,* Vlricus *Decanus, totumque Capitulum* Numburgenſis *eccleſie, ad exprimendum noſtrum conſenſum premiſſis omnibus voluntario acceſſiſſe, Sigillum noſtrum, quo in eccleſia utimur, preſentibus duximus appendendum. Actum et datum anno Domini M° CCC° XI. Idus Martii.*

Caſtri Schoenburgenſis reliquiae hodienum viſendae ſunt Leucopetra Numburgum proficiſcentibus.

XXV. *Burgwardum Walahuſin.*

Memoriam eius conſeruant literae Conradi II. Imp. iam quidem typis editae, ſed tamen non incommode hic repetendae, quia libelli, in quibus exſtant, x) non adeo a multis teruntur.

In

x) Dipl. apud Wideburgium Specim. I. rerum Miſnicarum p. 76. et in Antiqq. Marchionatus Miſnici II. p. 144.

In nomine Sancte et individue Trinitatis. Chuonradus *divina favente clemencia, Romanorum Imperator Augustus. Noverit omnium Dei nostrique fidelium universitas, qualiter nos, ob interventum et peticionem dilecte conjugis nostre* Gisle *Imperatricis Auguste, et amantissime nostre prolis* Heinrici *regis, nec non* Hunfridi, Magdeburgensis *Ecclesie venerabilis Archiepiscopi, fideli nostro* Iboni *clerico, tres mansos sitos in villa* Liehicho, *in pago* Hassagouue, *in comitatu* Sigfridi *Palatini Comitis, in burguuart* Merseburg, *et dimidium mansum situm in loco* Remmugim *in burguuart* Walahusin *in pago* Hassagouue, *in Comitatu* Hermanni *Marchionis, cum omnibus ad eosdem pertinentibus; cum areis, edificiis, mancipiis utriusque sexus, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, campis, silvis, venacionibus, molis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, que vllo modo inde provenire poterit, in proprietatem tradidimus, et de nostro iure atque dominio in ejus jus atque dominium omnino transferimus, eo quoque tenore, ut predictus noster fidelis* Ibo *liberam deinceps de eisdem mansis potestatem habeat tenendi, tradendi, vendendi, commutandi, posterisque relinquendi, vel quicquid sibi placuerit, inde faciendi. Et ut hec nostre tradicionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat evo, hanc kartam inde conscriptam subtusque manu propria corroboratam sigillo nostro jussimus insigniri.*

Signum Domini Chuonradi *Invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.*

Vdalricus *Cancellarius, vice* Aribonis *Archicapellani recognovit. Data XIII. Kal. Septembris, Indictione XI. anno dominice incarnacionis Millesimo XXVIIII.*

Anno autem Domini Chuonradi *Secundi regis III. Imperii vero II. Actum* Walahuſin, *feliciter. Amen.*

Walhuſa notiſſima eſt vrbs Thuringiae ad Elmum fluuium, et palatium ſeculo X. et XI. in quo Imperatores noſtri ſaepiſſime verſati ſunt. Habemus *Io. Ge. Leuckfeldii Antiquitates Walhuſanas*, y) qui haec latiſſime proſequitur, ſed ita tamen, vt labor illius quotidie nouis acceſſionibus augeri queat. Villa *Remmugim* mihi non eſt nota: *Bennungen* non longe inde remota eſt. Sed poteſt etiam prior illa dudum intercidiſſe.

XXVI. *Burgwardium Ranis.*

De hoc me per literas docuit M. Chriſtianus Gotthelff Stemlerus, Paſtor Drebanus, z) qui hiſtoriam Comitatus Arnshaugienſis, et vrbis Neoſtadienſis ad Orilam, meditatur: ſed plura de illo non memorauit. Igitur publice illum hortor, vt, quae de vicinia illa, nondum ſatis illuſtrata, obſeruauit, cum orbe erudito communicare ne dedignetur. Vrbs autem illa ſita eſt in praefectura Arnshaugienſi, inter Neoſtadium et Ziegenruckam, non confundenda cum alia cognomine, quae in praefectura Gommerana ſita eſt, et vulgo pars terrarum Burggrauiatus Magdeburgenſis, ſed perperam, habetur.

XXVII.

y) Itemque Anonymi cuiusdam locupletiorem librum: *Nachricht von der Stadt Wallhauſen* Gothae 1765. 4. editum. *Edit.*

z) Nunc Rector Scholae Döbelienſis, auctor librorum de Pago Orla ſeu hiſtoria vrbis Neoſtadienſis ad Orelam locorumque iſtius tractus, de vita Petri Epiſcopi Cytherienſis, Epiſcopatus Miſenenſis Suffraganei, aliorumque quorundam ante paucos annos editorum. *Editor.*

XXVII. *Burgwardium Nienburgense, trans Mildam et Hazzeckenrod.*

Memorantur in diplomate monasterii Nienburgensis, quod a. 1234. datum protulit Cel. Becmanus. [a]) Verba sunt: *Omnes homines Burchwardi Nienburgensis, Litones, Altistae et Censuales Ecclesie venient in Curiam Abbatis, et ibi coram Advocato vel Nuncio ejus stabunt ter in anno. - - - In universo Burchwardio trans Mildam et pertinentibus ad ipsum non presidebit Advocatus judicio, nisi ter in anno, et convenient omnes in curiam Mildense ad illud judicium exercendum. - - - Mercatum, moneta, theloneum et perfectura in Hazzeckenrod stabunt in potestate, jure et usu Abbatis Nienburgensis: Advocatus vel Nuncius ejus presidebit ibidem in judicio ter in anno. - - De supra dictis tribus Burchwardiis non exhibebitur aliquod servicium advocato.*

Loca illa in terris Anhaltinis facillima sunt inuentu, Nienburgum et Harzgeroda. Mildensee olim fuit Conuentus Canonicorum, qui postea Nienburgum translati sunt.

Porro ex his, quae de Burgwardiis huc vsque spicilegii instar congessimus, Lector obseruabit, quam multa adhuc restent in Geographia medii aeui terrarum nostrarum accurate peruestiganda. Nostrum igitur est, porro quoque colligere, quaecunque in hanc rem faciunt: fructum laboris nostri demum posteri perspectum habebunt. Quod superest, in posterum, Deo volente, de *Burgwardis extra Saxoniam*, quaedam memoratu digna proferemus. [b])

V. *Histo-*

a) Hist. Anhalt. Tom. V. p. 71.

b) Hoc quoque, vt cetera varia, quae aliis in locis edere promisit, B. Auctor, magno historiorum patriae detrimento, praestare, non potuit. *Edit.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

V.

Historia Burggrauiorum Donensium.

§. 1.

Rem non nouam adgreditur, qui de Burggrauiis Donensibus commentatur. Multi sunt ex eruditis, qui illorum res huc vsque scriptis illustrarunt. Nolo multus esse de illis scriptoribus, qui solas Genealogias contexuerunt, quales sunt RITTERSHVSIVS, HÜBNERVS et SOMMERSBERGIVS. Hi enim apud historiarum peritos fidem non inueniunt, quia seriem quidem genealogicam exhibent, non autem testimonia historica simul adiiciunt. Quum igitur hos iam quidem missos faciamus, melius de Burggrauiis nostris meriti sunt Io. Bened. Carpzouius in Theatro Lusatiae superioris, Christianus Bartschius in Chronico vrbis Donensis, et Christianus Heckelius in Descriptione munimenti Koenigsteinensis. Horum igitur vestigia sequi animus est, ita vt, quae ab ipsis bene dicta sunt, retineamus et paucis repetamus, alia vero etiam de nostris adiiciamus. Quum vero Burggrauii Donenses hodieque in Borussia sint superstites, eos quidem hic tangere nolumus, quibus tantum hoc propositum est, ea, quae ad terras Misnenses spectant, exhibere et pro viribus illustrare. Qui recentiora scire volunt, iis Carpzouius, Sommersbergius et Sinapius satisfacient.

§. 2.

§. 2.

Origo ipſorum fabuloſa.

Tradunt vulgo ſcriptores tantum non omnes, qui Burggrauios Donenſes in ſcriptis ſuis tetigerunt, Aloyſium quendam de Vrpach, nobilem virum e Gallia Narbonenſi (hodie *Languedoc* vocant) oriundum, Carolo Magno, tanquam ſummum militum praefectum, aduerſus Saxones militaſſe. Hunc poſtea a. 806. ab Imperatore, cum aliqua militum manu, ad nos miſſum eſſe, vt fines Bohemiae, Daleminciae et Soraborum obſeruaret, et colonias recens huc miſſas ab incurſionibus barbarorum tutas praeſtaret. Ab eodem arcem Dona ad riuum Müglicium exſtructam, et genus ad poſteros propagatum eſſe. Hoc ipſum tradunt Dreſſerus, Henelius, Ger. Io. Voſſius, Rittershuſius, Frid. Lucae, Frid. Spanhemius, et Phil. Iac. Spenerus. Nec eſt, quod ad Voſſium, virum ſummum, prouocent, de cuius eruditione ſumma nemo dubitat: in hoc autem negotio Dreſſerum ſecutus eſt, ita, vt in rem ipſam iudicio hiſtorico inquirere noluerit. Primus autem de tota re dubitare coepit Carpzouius, poſtea, me auctore, Bartſchius, cui et argumenta quaedam ſuppeditaui, quae iam auctiora repetam.

§. 3.

Refutatur.

Et *primo* quidem falſum hoc eſt, quod Carolus M. vsque ad has oras Miſnicas penetrauerit, aut fines imperii ſui ad nos vsque propagauerit. Nam hiſtorici Francorum teſtantur, eum vltra Halam et Zorbecam non adſcendiſſe: Hiſtoria vero noſtra docet, Sorabos in his terris obtinuiſſe, vsque dum ſeculo

culo sequente ab Henrico Aucupe deuicti et subiugati sunt. 2. Donense castellum primis temporibus sub potestate Bohemorum situm fuit, cum quibus Carolus nihil vnquam negotii habuit. Antiquissima autem castri Donensis historia inferius parte II. occurret. 3. Scriptores antiquiores nulli adducuntur, recentiores vero sine antiquiorum testimonio recipi non possunt. Notissimum enim, Historicos nostros Misnicos, qui antiqua ignorare nolebant, multa in gratiam virorum summorum temere accepta excogitasse, iisque fucum fecisse.

§. 4.

ERKENBERTVS.

Primus igitur, quod certo constat, Burggrauius Donensis fuit Erkenbertus, qui a. 1113. memoratur. Cum enim Sobieslaus Bohemiae Dux, Wladislaum fratrem, a quo insidiis petitus fuerat, fugisset, ab Erkenberto, castri *Donin* praefecto, quod tunc nomine Imperatoris tenebat, per dolum captus et ad Caesarem missus fuit. [a])

HENRICVS

a. 1160. tanquam Praefectus vrbis Donin testis fuit in literis donationis a Wladislao Bohemiae Rege, Episcopatui Misnensi concessis, id quod fide Carpzouii adduco, quia litterae ipsae nondum sunt editae. [b])

§. 5.

a) Cosmas Pragensis ad a. 1113. Dlugossus Hist. Polon. IV. p. 399.
b) Carpzouius Theatr. Lusatiae super. II. p. 6. b.

§. 5.

HENRICVS II.

A. 1182. Henricus Burggrauius de Donin testis fuit in litteris Ottonis Diuitis, Marchionis Misnensis, quibus ciuitati Lipsiensi priuilegia quaedam concedit: c) A. 1185. quum idem Marchio monasterio Vetero-Cellensi DCCC. mansos confirmasset: d) A. 1197. praesens fuit in prouinciali placito *Scolin* quum Hedwigis, Ottonis Diuitis vidua, eidem monasterio villam *Ouziz* largita esset. e) A. 1200. rursus adfuit in prouinciali placito *Colmitz*, quum Theodericus Afflictus, Marchio Misnensis, monasterium Dobrilucense dotaret. f) Circa illa tempora Burgrâuius Donensis, cuius nomen non adiicitur, Episcopum Misnensem aliqua possessione priuare ausus est, ibique castrum aedificare voluit. Quum vero Episcopus rem ad Innocentium III. Pontificem deferret, is a. 1202. Archiepiscopo Magdeburgensi et Praeposito Seburgensi negotium commisit componendum. g) Fabricius, et qui eundem sequuntur, bullam istam Innocentio IV. tribuunt, adeoque ad a. 1246. referunt. Sed ego potius Albino credo, qui in Epitome diplomatum Ecclesiae Misnensis, (*Registrandam* hodie vulgo vocant) eam Innocentii III. esse dicit, et certo scire potuit, quia autographum illarum

c) Dipl. apud Schneiderum Chron. Lips. p. 89. et Vogelium Chron. Lips. III. 1. 23.

d) Carpzouius l c.

e) Dipl. apud Mencken. S. R. Germ. II. p. 449.

f) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. I. p. 16.

g) Bulla apud Fabricium Annal. vrbis Misnae p. 110. Bartschium hist. vrbis Donensis p. 164. Heckelium descript. Koenigst. p. 9.

illarum manibus triuit. De veritate huius epochae testantur etiam, quae sequuntur. Nam a. 1206. Theodericus Marchio Misnensis, litem, quae inter Episcopum Misnensem et Burggrauium Donensem intercesserat, composuit. h) Excerpta illius laudi dedit Carpzouius, qui docet, Donenses castrum *Thorum* in fundo Ecclesiae exstruxisse, sed vi laudi modo dicti rursum destruxisse: Ottonem quoque, Henrici filium, inter testes memorari. i) Sed ipsum diploma videre nondum contigit. Eodem anno 12. Kl. Octobr. *Henricus praefectus de Donin* testis fuit in litteris Theoderici Marchionis, quibus fundationem hospitalis in Dersenitz confirmauit. Idem cum filio Ottone testis citatur in aliis litteris anni 1207. ad quas prouocat Carpzouius; k) nec non 1213. quum Theodericus Marchio monasterium Thomanum Lipsiense fundaret ac dotaret: l) A. 1217. quum idem Marchio monasterium S. Crucis iuxta Misnam, quod prius apud Capellam S. Jacobi fundatum erat, ad decursum Albae transtulisset: m) solus autem in litteris Dobrilucensibus ab eodem Marchione in villa Bichin datis. n) Rursus idem cum Ottone filio a. 1221. quum Jutta, Thederici Marchionis vidua, vna cum tutore filii, Ludouico Thuringiae Landgrauio, monasterio Veteris Cellae immunitatem a telonio concederet. o) A. 1224. Henricus

h) Fabricius l. c. p. 102.
i) k) Carpzouius l. c. p. 7. a. 10. a.
l) Dipl. *in der Ober Sächs. Nachlese*, I. p. 44.
m) Carpzouius l. c. p. 7. a. 10. a. b.
n) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. I. p. 33.
o) Dipl. apud Schlegelium de Cella Vet. p. 44. et Knauthium Chron. Vetero-Cell. VIII. p. 54.

Henricus testis fuit in compositione litis, quae inter Episcopum Misnensem et monasterium modo dictum intercesserat. p)

§. 6.

OTTO I.

Henrici II. filius, cuius iam §. superiore ad a. 1206. 1207. et 1213. mentio facta est. A. 1218. testis fuit in litteris Theoderici Marchionis, quum emtionem villae Ranstadt monasterio Vetero-Cellensi confirmaret. q) A. 1232. Otto noster Ecclesiae Misnensi villam Wolframsdorf, cum omnibus ad eam pertinentibus, donauit, quam donationem, quia villam modo dictam beneficio Regis Bohemiae possederat, Wladislaus Rex Kal. Aug. confirmauit. r) Et haec forte est, quam Fabricius s) permissu Hippolyti, Cancellarii Bohemici, acceptam dixit. Eodem anno 12. Kal. Nou. Henricus Illustris villam *Rickuz*, hodie *Rüx*, quam *Henricus Chorun* a praefecto de *Donin*, hic autem a Marchione laudato in beneficio tenuit, monasterio Buchensi tradidit. Datae sunt litterae in obsidione castri *Mildenstein*, inter testes vero adparet Otto praefectus de *Donin*, quod ipsum docet, et Burggrauium nostrum Marchioni tunc militasse. Sed nihil prohibet, quo minus litteras integras adscribamus:

H. *Dei gratia* Misnensis *et* Orientalis *Marchio*, *Vniversis tam præsentibus, quam futuris salutem. Cum universa negotia digne in memoria hominum mansura*

p) q) Carpzouius l. c. p. 6. b. 43. b.
r) Albini Epitome Diplom. Misnensium MS.
s) Fabricii Annal. vrbis Misnae p. 107.

sura et voce testium et scripturæ robore soleant confirmari, ad universorum notitiam cupimus pervenire, quoniam claustro in Buch *ob divinam retributionem, villam quandam nostræ proprietatis,* Rickvz *nomine, cum omnibus attinentiis suis, accedente consensu Comitum de* Brene, *cohæredum nostrorum, tradidimus jure pleno in perpetuum possidendam. Denique cum eandem villam* Henricus Chorun *a præfecto de* Donin, *ipseque præfectus a nobis in beneficio tenuerint, ambo ei bono animo renunciaverunt, nosque ipsam pro statu vitæ nostræ ac terræ nostræ, mediante domino* Bruningo *abbate, devote prædictæ ecclesiæ in* Buch *contradidimus. Et ne ausu temerario hæc Domino acceptabilia et sanctissimæ matri ejus infringantur, sigilli nostri munimine præsentem paginam digne duximus roborandam. Testes autem horum sunt* Meinherus *burcbravius de* Misne, Hermannus de Louedeborg, Otto *præfectus de* Donin, Albertus *præfectus de* Dewin, Erkenbertus *præfectus de Starkenberg*, Sifridus *præfectus de* Liznich, Johannes de Pac, Sifridus de Mugelin, Heinricus *Dapifer*, Heinricus *marscalcus*, Guutherus de Hubewiz, Wernherus de Ertmarsdorf, Otto de Nideke, Henricus de Trebezin, *et alii quam plures. Datum in obsidione* Mildenstein, *anno Domini M. CC. XXXII. XII. Kl. Nov. Indictione V. feliciter, Amen.*

A. 1235. Otto noster accedente consensu filiorum Henrici et Ottonis, nec non filiae Adelheidis, monasterio Veteris Cellae villam *Wizces* vel *Wirsoke* tradidit. [u]) Anno 1239. idem Otto et filii modo dicti

u) Knauthius l. c. II. p. 99. Carpzouius l. c. p. 10. b. 43. b.

dicti testes fuerunt, cum Henricus Illustris Marchio eidem monasterio villam Nitswatz traderet. x) Ipsum capite punitum dicit Fabricius, sed non addit, vnde id probet. Fortasse de filio cognomine verum est, de quo §. 9.

§. 7.

ALBERTVS.

Carpzouius in Tabula Genealogica hunc Ottonis II. fratrem statuit, et diploma a. 1185. allegat, in quo nomen illius inueniatur. Sed plura non addit. Occurrit autem 1227. tanquam testis in compositione Henrici Illustris inter Henricum Abbatem Veteris Cellae et Sifridum de Lubin. y)

FRIDERICVS.

In transactione Ottonis IV. Imperatoris et Theoderici, Marchionis Misnensis, a. 1212. suscepta, inter obsides, quos Marchio Imperatori dare debebat, occurrit etiam *filius Friderici Caratz de Donitz.* Ita legitur in diplomate, quod vitiose admodum edidit Maderus, et post hunc alii repetierunt. z) Putabam aliquando legendum, *Friderici Castellani de Donin.* Sed nolo eam coniecturam valde vrgere: interim tamen non prorsus omittendam censui. Fortasse tempus certiora docebit.

 §. 8.

x) Carpzouius p. 10. b.

y) Gribnerus Progr. de titulo Comitis Palatini in litteris Henrici Illustris p. 5.

z) Dipl. apud Maderum Antiqu. Brunsuic. p. 127. et Menckenium S. R. Germ. III. p. 1030.

Staatsbibliothek Bamberg

§. 8.

HENRICVS III.

Ottonis I. filius, iam supra adfuit §. 6. ad a. 1235. et 1239. A. 1242. Conradus Episcopus Misnensis conuentui S. Afrae villam, quae dicitur *Ranis maius*, quam Praepositus et Conuentus dictae Ecclesiae a Scilmone milite de Schosetrode pro 155. marcis emerunt, quamque hic in Nobilium Virorum, Henrici et Ottonis Burggrauiorum fratrum de Donin, hi autem in ipsius Episcopi manus resignarunt, contulit. [a]) A. 1254. aliquoties testis fuit. primum Taranti, 4. Id. Mart. quum Henricus Illustris Marchio, coenobio beatae Maria Magdalenae in *Ozzek*, h. e. vrbe Haynensi, villam *Medewitz* prope dictam ciuitatem sitam, contulisset: Porro 6. Kal. Mai. in campo apud *Vtstete*, cum idem monasterio *Vallis S. Georgii* in Thuringia sex mansos et dimidium in Olleibin confirmaret. [b]) Denique prid. Id. Maii, in *Mittelhusen*, quum idem Marchio monasterio Lusenicensi allodium in villa Loberschitz tribueret. [c]) A. 1255. idem Henricus cum Ottone fratre testis fuit *Taranti* in comitatu Henrici Illustris Marchionis. [d]) A. 1267. Henricus solus Taranti in literis Vetero-Cellensibus Alberti Animosi. [e])

§. 9.

a) Carpzouii Ober-Laus. Ehren-Tempel II. p. 10. b.
b) Dipl. apud Hahnium Collect. I. p. 96. Hornium Henrico Illustri p. 361.
c) Dipl. apud Liebium Spicil. historiae Henrici Illustris p. 65. 66.
d) Dipl. apud Hornium l. c. p. 313.
e) f) Gribnerus Progr. cit. p. 25. 30.

§. 9.

OTTO II.

Ottonis I. filius, iam ſuperius adfuit §. 6. a. 1235. 1239. et §. 8. a. 1242. 1255. A. 1254. cum Henrico Illuſtri Marchione fuit in prouinciali placito Cholmenſi teſtis in litteris Vetero-Cellenſibus. f) A. 1256. Ottonem hunc capite truncatum ſcribit Chronicon paruum Dresdenſe, ſed nihil praeterea addit. g) Accedit autem teſtimonium Fabricii, h) quamuis ille id de patre noſtri adſeruerit. Traditio igitur non prorſus de nihilo eſt, quamuis praeterea huc vsque de tota re nihil ſciamus.

ADELHEIDIS.

Ottonis I. filia, §. 6. a. 1235. iam memorata fuit. Carpzouius eam primam Abbatiſſam monaſterii vallis S. Mariae in Luſatia ſuperiore fuiſſe adſerit, illo tantum teſtimonio fultus, quod in charta Wenceslai Regis Bohemiae a. 1238. data Abbatiſſa Adelheidis nomine veniat. i) Sed res nondum confecta eſt. Nam plures eodem tempore foeminae illuſtres idem nomen habere potuerunt.

§. 10.

OTTO III.

Ottonis II. filius. A. 1274. teſtis fuit in literis Henrici Illuſtris monaſterio S. Afrae datis. k)

g) Tom. III. Menckenii p. 346.
h) Fabricius Annal. vrbis Miſnae p. 107.
i) Dipl. apud Carpzouium l. c. p. 342.
k) Reinhardus Progr. de titulo Comitis Palatini in litteris Henrici Illuſtris p. 19.

A. 1278. Dresdae fuit in placito prouinciali, et testem egit in compositione Episcopi Misnensis et fratrum de Pinuwitz. [l]) A. 1282. Otto Burgrauius, Ottonis et Hildegardis filius 4. Non. Jul. monasterio Veteris Cellae vnum talentum cum dimidio denariorum Fribergensis monetae in villa *Siversdorf*, iuxta Dippoldiswaldam, *) dono dedit. [m])

A. 1286. Otto de Donin, et Otto de Grefenstein, Burggrauii, hospitali S. Materni in vrbe Dresdensi duas vineas Kotzebrodae, et quosdam agros iuxta villam Potzschappel tribuerunt. [n]) A. 1287. Non. Octobr. Otto hic Thilmanno de Hoynsberg, vnum plaustrum vini, quod sua pecunia in villa *Lindenaw* emerat, in feudum concessit. Si vero vinum deficeret, eius loco sex talenta monetae Fribergensis ex bonis eiusdem villae promisit. [o]) Diploma illud a typographis pessime habitum est, igitur ex meliori exemplo descriptum repetimus:

Nos Otto, *Burggravius de* Donyn, *Notum facimus universis præsentem literam inspecturis, Quod strenuo militi* Thylmann de Haynsperg *et suis heredibus unum plaustrum vini purioris et melioris, quod ipse prænominatus* Thilico *sua pecunia rite et rationabiliter*

l) Gribnerus Progr. de ead. mater. p. 31.

*) Non sane! hic non de ista villa huius nominis iuxta Dippoldiswaldam, sed de ea quae ad Praefecturam Fribergensem hodie pertinet, et non procul a veteri Cella est sita, sermo est, de quo infra plura in nota ad §. 6. *der historischen Nachricht von Rabenau. Editor.*

m) Knauthius Chron. Vetero-Cellensi II. p. 99.

n) Weckius Chron. Dresdensi p. 285.

o) Dipl. apud Bartschium in historia vrbis Donensis p. 161.

ter emit de vinea illorum de Lindenaw *sibi singulis annis persoluendum contulimus justo tytulo feodali, deficiente vero vino in vinea supradicta, supradicto* Thiliconi *sex talenta* Fribergensis *monetæ de bonis in* Lindenaw, *ad quæ pertinet vinea ante dicta, sine contradictione qualibet persolventur. Ad omnium istorum evidentiam et certitudinem pleniorem, præsentem literam conscribi jussimus et nostri sigilli munimine communiri, præsentibus honestis viris*, Heynrico de Syden *milite*, Fritzkone *Dapifero*, Hermanno de Tannenwalt, Jacobo magno, Jhon de Reymmartzdorff, Theoderico Werner, Heinrico paruo, *et ceteris fide dignis. Datum* Dresden, *anno Domini M° CC° LXXXVIII° IIII Nonas Octobris.*

A. 1289. Egrae praesens fuit, et inter testes locum habuit, quum Rudolphus Imperator permutationem quarundam terrarum inter Wenceslaum, Bohemiae Regem, et Fridericum, Misniae Marchionem, ratam haberet. p) Coniugis eius nomen fuit Christina, id quod ex Codice quodam MSto didici, quo et Carpzouius usus esse videtur.

§. 11.

OTTO IV.

Burgrauius Donensis, et Dominus in Graefenstein in Bohemia, filius a Carpzouio statuitur Henrici III. sed sine sufficienti testimonio. Eius modo §. 10. a. 1286. mentio facta est. Hunc Carpzouius auctorem facit lineae Graefensteinensis, quae in Bohemia diu floruit, a nobis autem porro non tangetur.

p) Dipl. apud Sommersberg S. R. Silef. I. p. 940.

Alius Otto de Donina memoratur, qui vna cum aliis praecipuis Bohemorum a. 1278. in praelio inter Rudolphum Habſpurgicum, Imperatorem, et Premislaum Ottocarum Bohemiae Regem occubuit. [q]) Sed ad quamnam ille familiam referendus ſit, non conſtat.

§. 12.

OTTO V.

Ottonis III. filius eſſe videtur, et in tabula Carpzouiana ſic ponitur. A. 1300. 8. Id. Aprilis, bona monaſterii Cellenſis in ſuo dominio ſita in ſuam et haeredum ſuorum defenſionem recipit, et ab omnibus exactionibus, angariis et ſeruitiis liberat, cum conſenſu cariſſimae conthoralis Gertrudis, cuius dos eſt oppidum *Rabinowe*, filiorumque Erneſti et Ottonis Heidenii: coenobioque illi et iudicibus eius omnes cauſas, praeter vulnera et capitales ſententias, iudicandas concedit. [r]) A. 1311. Otto Burgrauius Senior de Donyn, cum filiis Ottone Ernſt et *Ottone Heyden*, teſtis fuit in litteris Friderici parui, Marchionis Miſnenſis, quibus reditus quosdam ponti Dresdenſi aſsignauit. [s]) Eodem anno Otto noſter conſentientibus filiis praedium in villa Kotta ad altare S. Nicolai ibidem tradidit, totam vero villam cum iure patronatus, quam Tilico de Haugwitz ab ipſo beneficii loco habuit, Günthero de Karas conceſſit.

q) Peſſina in Marte Morauico VIII. 7. p. 378.

r) Knauthius Chron. Vetero-Cell. II. p. 101. Carpzouius p. 44.

s) Dipl. apud Weckium l. c. p. 192. et Schrammium *Hiſt. Schauplatz von Brücken Beyl.* n. 6.

ceſſit. Teſtantur hoc literae vernaculae, quas authenticas eſſe non credo, ſed verſionem tamen ſatis antiquam, quam aequo Lectori, prout in manus meas peruenit, exhibeo:

Wir Otto *Burggraue von* Dona *der Elter, bekennen in dieſem gegenwertigen Briefe, und thun kundt allen denen die dieſen brief anſehen, das wir mit wohlbedachten mute, und mit unſer willkure, und mit unſer Sone willen, das iſt* Otto Ernſt, Otto Heiden, Otto Jung, Otto Liebedich, *das Forbergk zu* Kotta, *das da war* Heinrichs von Thanenfeld *und ſeiner mutter leibgedinge, das herr* Paul *wider abgekauft hatte, und ſie es uns vf lieſsen, mit alle dem, was dazu gehöret, recht und redlich, das haben wir geopfert und geeignet durch Gott und durch bethe des herrn* Paulus *des Pfarrers zu* Kotta, *und zuforderſt durch unſer Selen willen, und unſerer Kinder, die vorbenomet ſeyn, und durch aller unſer Altvetern Selen willen, uf den altar zu* Kotta *S. Niclas zu Lobe ewiglich und immermehr. Vnd bekennen das, das wir demſelben Kirchlehen und das gut zu* Kotta *mit alle dem rechte, als ſie herr* Tielich von Haugwitz *gehabt hat, von vns, alſo haben wirs gelieben* Gunther Karas *und ſinen brudern, und bekennen aber, das es* Gunther *alſo funden hat, mit das eigenſchaft, als hie beſchrieben iſt, alſo hat ers gehabt in ſeinen rechten, leben, gewehren, ohn allerlei anſpruche, Jahr und tagk, und aber Jahr und tagk. Dieſer rede iſt gezeuge her* Johannes *der pfarrer von* Dona, *herr* Conrad *der pfarrer von* Porſchendorff, *herr* Heinrich *pfarrer von* Friederichswalda: *ſonſt* Bertholdt *der Artzt,* Otto von Opprowitz, Heinrich von Garawitz, Otto von Karlowitz, Leppraut von Gorſen, *vnd andere getreue ehrhafte leute.*

Der brief ist geben nach Christus geburt, tausend dreihundert und in dem eilften Jahre, in den Donnerstage S. Catharinen tag. Das diese rede gantz und stete sei, so haben wir diesen brief versiegelt mit unsern Insiegel und mit vnserer Sone insiegel.

§. 13.

A. 1312. 13. Kal. Aug. Otto senior cum Gertrude coniuge et septem filiis cognominibus, monasterio Veteris-Cellae villas *Seifersdorff*, *) *Paulsdorf*, *Börnichen*, et partem villae *Nauendorf*, ad dominium *Rabenau* spectantes, tradidit. [t]) A. 1318. die S. Luciae, Otto senior, suo et omnium filiorum nomine, Friderico Marchioni Misnensi eiusque filio Friderico iuniori, fidem fecit, se cum duabus arcibus in Donin, cum castris *Weissenburg* et *Rabenau*, quae ab ipsis beneficii loco possideat, fidelem et praesto futurum, ipsique corpore et bonis ministraturum. Quique filiorum suorum id neglexerit, eum exhaeredem futurum. [u]) Coniux ipsius Gertrudis iam bis adfuit. Filios autem ex ea suscepit septem, qui omnes *Ottonum* nomine vocati sunt: 1. Otto, Archidiaconus Lusatiae. 2. Otto Ernst. 3. Otto Heiden. 4. Otto Iuuenis. 5. Otto Libedich. 6. Otto Wick. 7. Otto Albus. De illis singulatim, quantum fragmenta historiarum permittent, dicemus.

OTTO VI.

Archidiaconus Lusatiae, in Episcopatu Misnensi Canonicus. Carpzouius eius mentionem fieri docet in

*) cf. infra annotationem §. 6. *der historischen Nachricht von Rabenau* additam. *Edit.*

t) Knauthius l. c. p. 99. Carpzouius p. 44.

u) Confer Heckelii hist. Koenigsteinensem p. 16.

in diplomatibus a. 1300. et 1312. Ego ipsum a. 1313. in literis monasterii Buchensis inueni.

OTTO VII. Ernst.

Illius supra §. 12. a. 1300. et 1311. mentio facta est. Rittershusius eum in praelio occidisse dicit, sed non addit, qua occasione. Fortasse illum cum eo confudit, de quo superius §. 11. dictum est.

§. 14.

OTTO VIII. Heiden.

Cognomen inde nactum hunc esse arbitror, quod in terras gentilium profectus sit, id quod factum extremis temporibus passagiorum: vel etiam ad visendum sanctum Domini sepulcrum. Iam supra adfuit §. 12. a. 1300. et 1311. A. 1321. 3. Non. Dec. Otto senior dictus Paganus, et Otto dictus Iuuenis, fratres testamento suo partem villae Gorkewiz monasterio Veteris Cellae legarunt. y) A. 1322. ipse cum fratre Ottone Iuniore curiam in vrbe Dresda ad se spectantem monasterio Veteris Cellae donauit. z) A. 1327. die S. Francisci Laurentio Busmanno ciui Dresdensi duas sexagenas pecuniae in villa Tworne vendidit. a) A. 1329. idem cum fratre Ottone Iuniore Friderico Marchioni literis publice datis fidelitatem, ius quoque aperturae, et in futura venditione bonorum suorum ius πϱοτιμήσεως promittit. b) Iidem a. 1332. monasterio S. Afrae in vrbe Misna duo talenta annui census in villa Mere-

y) Carpzouius l. c. p. 44.
z) Knauthius l. c. p. 100.
a) Bartschius in hist. Donensi p. 36.
b) Dipl. apud Eundem p. 156.

Merewicz tradiderunt. [c]) Tandem eodem anno iidem fratres curiam ſiue domum Dresdenſem, quam Ienichinus Papperzan ab ipſis beneficii loco habuit, facta reſignatione, monaſterio Veteris Cellae appropriauerunt, teſte diplomate, quod ſequitur:

Novercari ſolet notitiæ proceſſus, niſi ſcripti memoria perhennetur. Nos igitur Otto *dictus* Heyden, *et* Otto *dictus* Junge, *Dei gratia Burggravii in* Donyn, *Vniverſis Chriſti fidelibus, præſens ſcriptum intuentibus et audientibus, volumus fore notum, Quod* Jenchinus *dictus* Papperzan, *noſter vaſallus, curiam ſeu domum, quam a nobis habuit et poſſedit in civitate* Dresdenn *apud* Conradum bulingum, *Religioſis viris domino Abbati et conventui monaſterii* Cellæ Sanctæ Mariæ, *ordinis Ciſtercienſis, pro remedio animarum ſuorum progenitorum devote dedit, et coram nobis reſignavit, petens multiplici precum inſtantia, ut dictam curiam præfato domino Abbati et conventui conferre dignaremur. Cum igitur prædicta donatio ad pios uſus eſt attemptata, Nos ob reverentiam Jeſu Chriſti, et ad laudem ſuæ beatiſſimæ genitricis ſemperque virginis Mariæ, ymmo etiam propter amorem ſimul et favorem, quem ad præmiſſum monaſterium habemus, præhabitam curiam prænominato domino Abbati et conventui præſentibus conferimus, donamus et appropriamus, cum omni jure, libertate, gratia et honore, quiete et perpetuo poſſidendam. Vnde ne in poſterum aliqua calumpnia ac vexatio ab heredibus ſeu ſucceſſoribus ipſius* Jenchini *prænotato monaſterio aut conventui ibidem Deo famulanti oriatur, Nos in teſtimonium evidens præſens ſcriptum dedimus cum appenſione ſigillo-*

c) Carpzouius p. 43. b.

ſigillorum noſtrorum firmiter roboratum. Actum et datum in caſtro noſtro Donyn, *Anno Domini MCCCXXXII. Die Dominico infra octavas Aſcenſionis ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Teſtes enim hujus ſunt dns* Otto *plebanus in* Donyn, *frater noſter*, Waltherus de Schirne et Vlricus de Janſpach, *noſtri vaſalli*, Nicolaus Monetarius, Ludowicus de Friberg, Petrus Isfridi, *cives in* Dresden, *et alii quamplures fide digni.*

Tandem Otto Heiden naturae debitum perſoluit a. 1336. d) Quoniam hi duo fratres, Otto *Heide* et Otto *Iuuenis* ſaepenumero coniunguntur, non incommode quis exinde concluderet, eos in diuiſione praediorum paternorum bona communia nactos eſſe.

§. 15.

OTTO IX. Iuuenis.

Germanice *Iunge* dictus. De eo praeter ea, quae ſupra §. 12. et 14. ſub a. 1322. 1329. et 1332. adfuerunt, notanda ſunt ſequentia. A. 1321. monaſterio Cellenſi vehem ſiue plauſtrum vini, ab Honſpergiis reſignatam, attribuit, de qua re litterae ſequentes plura docebunt:

Nos Otto *dictus* Juvenis *Burggravius de* Donyn, *Vniverſis, præſentium literarum notitiam habituris, cupimus eſſe notum, Quod ſtrenuus miles* Fridericus *filius* Thiliconis de Hoynſperg, *felicis recordationis*, Donyn *ad nos veniens, unam carratam vini purioris et melioris de vinea illorum de* Lindenaw *ſingulis annis percipiendam, quam idem* Fridericus *et fratres ſui, videlicet* Theodericus *et* Reynhardus, *a nobis in feudo*

d) Chron. Vetero-Cellenſe Tom. II. Menckenii p. 443.

feudo tenuerunt, in manus nostras, dictorum fratrum suorum consensu plenario antecedente, liberaliter resignavit, rogans affectuosius, quatenus eandem carratam vini Monasterio Cellæ Sanctæ Mariæ, *Cisterciensis ordinis, cui eam dictus Thilico, pater ejus, pro animæ suæ salute legaverat, conferremus, Nos itaque piis suis precibus annuentes, præfatam carratam vini, cum omni jure, quod tam prædicto* Friderico *et suis fratribus prædictis, quam nobis in heredibus competebat et competere posset, dicto* Cellensi *Monasterio contulimus et per præsentes resignamus sine contradictione perpetuo possidendum: hac adjecta conditione, quod, quocunque anno vinum in supra dicta defecerit vinea, sex talenta* Fribergensis *monetæ de bonis in* Lindenaw, *ad quæ pertinet eadem vinea, sæpe dicto Monasterio sine contradictione qualibet persolventur. In cujus facti evidentiam literam præsentem sigillo nostro fecimus consignari. Datum* Donyn, *anno Domini M CCC XXI. III. Nonas Decembris.*

A. 1347. die S. Matthiae Apostoli, Otto Iuuenis e) literis patentibus profitetur, se illustri Friderico Marchioni Misnensi eiusque haeredibus, ius aperturae in dimidia parte castri Donensis et dimidia item parte castri Rabenouiensis concessisse. Porro quoque, si illa portio a se aut suis oppignoranda aut vendenda esset, id praesciente Marchione fieri debere. Quod si vero ipsum sine haeredibus obire contingat, duplas portiones modo dictas, cum omnibus ad easdem pertinentibus, Marchioni eiusque haeredibus obuenturas. Tandem promittit, se moniturum

e) Verba diplomatis vernaculi sunt: *Wir Burgrave Otte von Donyn, den man nennet den Jungen.*

niturum patruelem Heiden, (de quo postea) et Henricum Dapiferum de Burnis de liberatione castri Rabenouiensis, et quo eo spectant. f) Videtur igitur hic improlis decessisse.

§. 16.

OTTO XI. Wick.

Cognomen huius varie scribitur. Alii habent *Wicz*, alii *Wiet* et *Wietz:* sed ego Vickonis nomen praefero. Nam a. 1321. *Vickonis de Donyn* vidua monasterio Vetero-Cellensi villam *Ludewitz* in districtu vrbis Misnae testamento legauit. g) Et hoc nomen deinceps deprauatum iudico in *Valkonis*, qui cum Adelheide coniuge munificus fuit in monasterium Chemnicense. In eius enim Necrologio bis habetur *Valko de Donyn.* h)

OTTO X. Libedich.

OTTO XII. Albus, al. Albert.

Alter ex his fratribus fuit Plebanus Donensis, quod ex diplomate vidimus §. 14. Alter Guardianus monasterii Suselicensis, testibus literis a. 1331. datis, in quibus Frater Otto de Donyn, sincerus eius (Suselicensis) monasterii Confessor, et Guardianus in Suseliz appellatur. i)

CATHARINA.

Soror Ottonum huc vsque laudatorum, Abbatissa Suselicensis, quae a. 1334. villam suam Maldewitz

f) Dipl. apud Bartschium hist. Donensi p. 157.

g) Knauthius Chron. Vetero-Cell. II. p. 100. Carpzouius p. 44.

h) apud Menckenium Tomo II. p. 157. 163.

i) k) Carpzouius p. 43.

witz cum praedio Raschzewitz (al. Ragewitz) monasterio S. Afrae permutauit. [k])

§. 17.

FRIDERICVS.

A. 1341. Fridericus et Otto dictus Heiden, fratres, Burggrauii de Donin, et Henricus Dapifer de Brun (melius Burnis) literis publice datis fatentur, se castrum *Donin*, quod ab Ioanne Rege Bohemiae in certa summa pecuniae pro pignore tenuerant, iam tandem ab eodem Rege, propter sua seruitia Regio culmini exhibita, haereditarie possidendum accipere iure perpetuo et titulo feudali. Haec Balbinus, [l]) qui et vna cum aliis diploma super hoc negotio datum adfert. [m])

OTTO XIII.

Canonicus Misnensis, occurrit a. 1342. et 1350. in Compromisso inter Ioannem Episcopum et Ioannem de Strelis, Archidiaconum Lusatiae. [n]) Nescio, an fuerit frater Friderici et Ottonis sequentis.

§. 18.

OTTO XIV. Heiden.

Modo a. 1341. mentio eius facta est. A. 1344. Dominica Laetare Otto Heide, publicis literis confitetur, sibi cum Friderico Marchione Misnensi ita con-

l) Balbinus Epitome rerum Bohem. III. p. 344.

m) Dipl. apud Eundem Miscell. Dec. I. lib. 8. p. 291. Lünig. R. A. part. spec. Cont. II. von Schlesien, p. 234. et Codice Germ. Dipl. II. p. 399. Carpzou. Ober-Laus. Ehren-Tempel II. p. 12. Bartschium l. c. p. 152. Sommersbergium S. R. Siles. III. p. 218.

n) Carpzouius p. 43.

conueniſſe, vt, ſi Otto Iunge, patruelis ſuus, ſine prole decederet, Timo de Kolditz, Marchionis Marſchalcus, aut, illo abſente, Botho de Turgowe, poſſeſſor praedii Bichen, omnem eius haereditatem, praecipue in caſtris Donin et Rabenaw, occuparet, ſuoque et Marchionis nomine tamdiu teneret, idque ſine alterius partis diſpendio, donec diſceptatum fuerit, ad quem illa ſpectare debeant. Quod ſi contingat, vt ad ſe perueniant, ſe Principi illa caſtra ſemper aperturum et beneficium ipſius agniturum. o) A. 1352. Dominica Laetare, Heido Burggrauius de Dona vnum talentum annui cenſus, quod Helwigus Schneider, ciuis Dresdenſis, in villa *Lipen*, altari in capella S. Crucis a ſe fundato donauerat, Altariſtae confirmauit et in beneficium obtulit. A. 1362. in craſtino Circumciſionis Domini, Heide Burggrauius de Donyn, monaſterio Cellenſi villam *Dreſen*, quam ſtrenuus miles Ioannes de Maltitz Ioanni Abbati vendiderat, appropriauit. p) A. 1377. idem Burggrauius vna cum aliis in Bohemiam miſſus eſt, vt pro Marchionibus Miſnenſibus ab vrbibus Brüx et Launa iusiurandum reciperet, quae tunc pignoris loco Miſnenſibus erant traditae. q) Vltima eius fata enarrat Chronicon Vetero-Cellenſe his verbis: *M CCC LXXXV. Die Dominica Miſericordia Domini, quae fuit tunc proxima ante diem Sancti Georgii Martyris, Domnus Otto Heyde de Donyn habuit magnum tripudium cum omnibus filiis ſuis et amicis, quia tunc baptizatus fuit puer filii ſui. Et inſequenti nocte caſtrum*

o) Dipl. apud Bartſchium hiſt. Donenſi p. 159.
p) Carpzouius p. 44.
q) Hornius in Vita Friderici Bellicoſi p. 81.

strum Donyn fuit interruptum per quendam dictum Hannus Koyrbitz cum suis complicibus, qui ipsum Domnum cum filio suo primogenito equivoco ceperunt, et sublatis XXIV. equis cum aliis bonis abierunt, et filium suum secum abduxerunt. Et senior Dominus Heyde in captivitate mortuus est. [r]) Caussam huius dissidii vulgo in Burggrauios Donenses coniiciunt, qui, vt mos erat illorum temporum, ex rapto viuere solebant, (*diffidationum* nomen tunc in vsu erat) et clientibus suis idem concedebant. Cum igitur ne quidem terris Marchionis, Principis sui, parcerent, factum, vt vel consentiente, vel certe conniuente ipso, Korbitii et alii nobiles Misnici Burggrauiis omne damnorum genus inferrent. Bartschius initium harum turbarum in annum 1373. coniicit.

§. 19.

JASKO I.

Friderici filius. A. 1397. vigilia Elisabethae, Jeske Burggrauius, Laurentio Busmanno, ciui (h. e. Senatori) Dresdensi, villam Tworene iuxta Donyn, et apud Bossendorff villam superiorem, das Oberdorff, et quae eo spectant, pro centum aureis Vngaricis vendidit, ea lege adiecta, vt post quinquennium redimi possent. Testes erant Janus de Donyn, frater Jaskonis, Albertus Praefectus domus hospitalis Donensis, Hans Carlwitz, Fridericus de Mogelin, Reinhardus Karas in Maxen, Lutoldus de Schzerin: Petrus Brener et Hans Buling, ciues Dresdenses.

r) Chron. Vetero-Cellense p. 444.

denses. [s]) Aiunt, hunc in turbis sequentibus captum, et in custodia mortuum esse.

JANVS.

Frater Jaskonis, vt modo vidimus. Hic igitur vacillat tabula Genealogica Carpzouii, quae hac vsque satis apte cohaeserat.

OTTO XV. Heiden.

Frater duorum, qui modo adfuerunt. Carpzouius Friderico cuidam cognomen *Heiden* tribuit, nescio an satis recte. A. 1397. die Francisci Otto Heiden Laurentio Busmanno, ciui Dresdensi, vendidit duas sexagenas pecuniae in Tworne, pro XVII. sexagenis monetae Fribergensis, quae duae sexagenae in beneficium sunt concessae. In reemtione pro singulis sexagenis duo floreni Hungarici erant soluendi. Testes erant Albertus, magister Hospitalis Donensis, Georgius Capellanus Burggrauii, Petrus Bernher, Joannes Buling, et Nicolaus Monetarius. [t]) A. 1401. Dominica Laetare, Jasko, Heide, et Janus Burggrauii Donenses, et Wenceslaus (Wentzsch) de Donyn promiserunt Wilhelmo, Misniae Marchioni, se inducias, tempore turbarum tunc durantium initas, ab illo tempore vsque ad diem Walpurgis obseruaturos, finem vero illarum quatuordecim diebus

s) t) Excerpta diplom. apud Bartschium p. 36. sed quae ex schedis MSS. aliquantum aucta sunt. (Haec quoque legi in antiquo quodam Codice, in Archiuo Electorali Dresdensi adseruato, testatur *Fritschius im historischen Nachtrag vom Rittergute Maxen*, Dresd. 1762. 4. p. 8. *Editor.*)

bus ante illum diem literis publicis indicturos. u) A. 1412. die Iouis post festum Conuersionis Paulli, Fridericus iunior, Thuringiae Landgrauius, testatur, Jeskonem, Janum et Heiden, Burggrauios Donenses, villam Tworne Laurentio Busmanno vendidisse, huius vero haeredes dimidiam illius Senatui Dresdensi ita quidem tradidisse, vt sacerdoti, qui in Capella curiae singulis hebdomadibus, quatuor missas celebraret, quotannis nouem sexagenas grossorum clypeatorum Fribergensium persoluerent. x) A. 1415. Heydo Burgrauius Donensis, Pragae mortuus, in monasterio Veteris Cellae sepulturam inuenit. y)

Ex illis, quae hic adfuerunt, fere concludas, hos tres, Jaskonem, Janum et Ottonem fratres fuisse, quamuis Carpzouius eos agnatos potius faciat. *)

§. 20.

u) Dipl. apud Carpzouium p. 16.

x) Exc. Dipl. apud Bartschium p. 36. vbi ridiculus error irrepsit ab insulso typographo profectus. Loco enim quatuor missarum (*vier messen*) is commentus est missam cereuisiariam (*die Biermesse*) id quod Bartschio non est tribuendum, quippe cuius opusculum manu exaratum ipse perlegi, neque tale quid obseruaui. Veram autem lectionem elicui ex fragmentis illius diplomatis, cuius apographum possideo.

y) Schlegelius de Cella Veteri p. 99. Knauthius Chron. Veteris Cellae II. p. 97.

*) Optime haec omnia explicant atque dilucidant literae sequentes, huc vsque nondum editae, quas ex originali scripto, quod nobis ad manus est, desumtas, addere possumus:

Wir Otte Heyde, *vnd her* Jesco *vnd her* Mowl *vnd her* Jon *gebruder* Burggreven *vnd* Hern *czu* Donyn *bekennen vor vns, vnd vor alle vnser erben offentlichen, in disem briue, vnd tun wissen allen den di disen briff sehn, oder horen lesen, das wir mit guten willen, wolbedachten*

§. 20.

Sed tempus quoque eſt, vt extrema Burggrauiorum in terris Miſnicis conſpiciamus. Memorantur adhuc duo,

bedachten mute, vnd mit rate, vnſzre getrowen, vorkoufet haben, vnd vorkoufen, recht vnd redlichen, in eyme rechten ſteten ganczem koufe, ane widerrede, vnd ane arg, dem beſcheiden manne, Nickel wicharde, *Burger czu* ffreyberg, *vnd alle ſein erben, das dorff genant,* Seyferſtorff, *das vnſe vater, cyns ſeligen gedechtnis, vff vns geerbet hat, das do gelegen iſt eyn halbe meyle von* Dypoldiſwalde, *mit dem kirchlen mit allen rechten groz vnd cleyne, als man nennet öbr hals vnd öbr hant, vnd do czu ſtok vnd Galgen, mit allen czinſen, geldes vnd getreides, vnd mit aller czugehörunge, an waſſer, an weide, an Puſchen, an velde, an Hünre weide, an Jait, ſe ſey groz oder kleine, vnd bete, vnd ſtewre, oder wy is heiſet, oder ſunderlich immer namen mag gehaben mit allen ereu, vnd nuczen, als vnſer vater vnd wir is gehabt han, vnd bey namen keyns, ows geczogen, is ſy groz oder cleyne, alzo zal das egenante gut* Seyferſtorf *des obgenanten* Nickel Wichardes, *vnd ſeynen erben erblichen bleiben, ane arg, alzo lyen wir dy obgenanten geſchriben güter, deme obgenanten* Nickel wicharde *vnd alle ſeynen erben czu rechtem lehn czu beſitzen, czu gebruchen, vnd czu haben, als ander vnſer erber man, Ritter vnd knechte, lenguter, von vns czu lehn haben, ane arg willichen, wen vns der egenante* Nickel wychard, *dy obgeſchriben gut liblich vnd gutlich beczalt hat mit bereitem gelde, vnd wir das ſelbe gelt in groſen nöten bedorft haben, dorczu gelobe wir vorgenante Hern, deme obgenanten* Nickel wycharde, *vnd allen ſynen erben, das wir in getrewlich vorſchuczen vnd vorteidingen wellen, als ander vnſer getrewen man Auch gelobe wir obgenanten hern, deme vorgenanten* Nickel wychard *vnd ſeyneu erben, ab* vnſe bruder der Krewcziger, *ader ymant von ſeynt wegen, keyn anſprach welde tun, in di gut* ſyferſtorff, *welcherleye dy*

anſprache

JASKO II.
procul dubio Jaskonis I. filius, et

NICO-

ansprache dar keme, das sölde wir dem vorgenanten nickel wychard *entwenen, mit vnszm gelde alzo das he keynen schaden daran nemen, vnd syne erben, Owch bekenne wir das dy gut* Seyferstorff, *haben gehort, hin keigen* Rabnaw, *das wir das alzo do von vorkoust haben, das wir vnd die vnser dem vorgenanten* Nickel wychard, *vnd seynen erben, noch seynen lewten czu* Seyferstorf *keyn gedrencknis tun sullen noch enwellen do sy schaden von mochten genemen, Auch bekenne wir obgenante hern, das man czu drey dingen, im iare, doselbest czu* Seyferstorf *bir mag schenken In czenn dinge acht tage, vnd ouch czu kermestage zo mag der richter bir schenken, Des habe wir* Otte Heide, *vnd er* Jeschko, *vnd er* Mowl, *vnd er* Jon, *Burggreuen vnd Hern czu* donyn, *czu eyner vestenunge, vnd czu merer sicherheit, vnser aller vyr Jngesigele an den keigenwortigen briff lassen hengen, der gegeben ist nach Christi geburt, dryczenhundert Jar, darnoch in dem Syben vnd achczigistenn iare, an dem nehsten donrestage noch sente Johannes Ewangelisten tag, Des synt geczewk, Er* olbrecht *vnser kappelan, vnd* kletebach *vnse man,* Nickel hartusch *gesessen czum* wyssemburn, *vnd* heinrich Rechemberg *gesessen czu* Olberndorff *vnd* Peter Kunke *vnd ander erber lewte gnuk vnd vil, den do wol czu gelowben ist.*

Quatuor huic diplomati appensa sigilla, e quibus insignia Burggrauiorum Donensium istius temporis, accuratius cognosci possunt, aeri incisa simul suppeditamus. Apparet vero ex his ipsis litteris, quinque omnino Friderici fuisse filios, Burggrauios Donenses, quorum quidem ille qui Ordinis Cruciferorum eques fuit, et in diplomate, non addito nomine, der *Krewcziger*, vocatur, B. *Schoettgenio* plane fuit incognitus. Reliqui vero quatuor fratres tali modo numerandos esse, vt *Otto Heide* sit primus, *Jesco*, secundus, *Mowl* tertius et *Jon* tandem, quartus, eaedem litterae testantur. De *Nicolao Wychardo* vel *Weigharto*

huius

NICOLAVS, cogn. MAVL, *)

Burggrauii, quorum genealogiam accurate peruestigare haud licuit, documentis quippe destituto. Scio, quid cum Rittershuſio et aliis proferat Carpzouius, ſed non ſatisfaciunt. Hi igitur cum agnatis et clientibus vias intutas fecerunt, mercatores ſpoliarunt, Principibus bellum indixerunt, vel, vt verius dicam, rebelles ipſis fuerunt. Qua propter Wilhelmus, Miſnenſis Marchio, quem vulgo Coclitem vocant, armata manu ipſos perſecutus eſt, in quibus turbis duo ipſorum vitam amiſerunt, caſtrum Donin a. 1502. captum et ſolo aequatum eſt, Burggrauii vero in exilium eiecti ſedem fortunarum ſuarum, quam iam ante in Luſatia et Bohemia inuenerant, in Sileſia et Boruſſia quaeſiuerunt. Qui turbas vltimorum temporum accurate cupit noſſe, is adeat Carpzouium, Bartſchium et Heckelium, quos exſcribere meum non eſt.

Poſt hanc illorum eiectionem poſteri apud Imperatorem conqueſti ſunt, et reſtitutionem praediorum ſuorum multo ſtudio et longo tempore quaeſiuerunt, ſic vt lis illa per totum ſeculum XVI. durauerit, neque tamen aliquid contra Principes, qui poſtea Du-

huius nominis in Hiſtoria Freibergenſi ſecundo, Senatore Freibergenſi atque Domino villarum *Thormhoff* et *Oberſchaar*, cui Burggrauii Donenſes per has litteras villam *Seyfersdorf* vendunt atque in feudum dant, vid. *Molleri* Chronic. Freiberg. P. I. p. 347. 412. *Editor*.

*) Hunc quoque filium Friderici, fratremque Ottonis XV. Jaſconis I. et Jani, maioremque natu Jano fuiſſe, ſufficienter nos docet diploma anni 1387. paragrapho antecedenti adiectum. *Editor*.

ces Saxoniae facti sunt, obtinere potuerint. Litem illam satis copiose exponit Carpzouius.

ANALECTA DE LINEA GRAFENSTEINENSI ET BOHEMICA.

§. 21.

Propositum mihi primum erat tantum de Burggrauiis Donensibus, qui in Misnia sedem fixerant, commentari, quia vero, dum loculos meos excutio, alia quaedam sese obtulerunt, terris nostris vicina, occasionem hanc datam e manibus dimittere nolui, et quaedam ad illustrationem huius gentis spectantia nunc addam.

OTTO, cogn. Calp.

Huic a. 1310. Henricus II. et Conradus, haeredes regni Poloniae, Duces Slesiae, Domini Glogouiae et Posnaniae, tum alia quaedam in terris suis donauerant, quae vero diploma, vtpote mutilum, non exprimit, tum quoque villam Topherdorf. [z])

OTTO, Clericus.

Hic a. 1326. et 1328. fuit Protonotarius Henrici Ducis Slesiae et Domini Wratislauiae, [a]) Canonicus item Wratislauiensis [b]) et a. 1332. Plebanus in Sweidnitz. [c])

HENRICVS, IOANNES et OTTO.

A. 1334. Ioannes de Donin, quondam Henrici de Donin, dicti Buele, filius, Ottoni Canonico et Plebano

z) Dipl. apud Sommersbergium S. R. Siles. I. p. 945.
a) Dipl. ibid. III. p. 139. 91.
b) Exc. Dipl. ibid. I. p. 336.
c) Dipl. ibid. I. p. 971.

Plebano modo dicto, qui Henrici frater fuit, villam Hoëndorff, in districtu Iauoriensi sitam, vendidit, id quod Henricus et Bolco, Silesiae Duces, ratum esse, iusserunt. Rem Bolco Dux a. 1346. denuo confirmauit, quo tempore Ioannes Bononiae studiis vacabat. Is deinde Canonicus Wratislauiensis, sed ante a. 1354. extinctus, villam laudatam, cuius vltimus possessor et legitimus haeres fuerat, Capitulo Wratislauiensi, tabulis testamenti sui legauerat. [d]) Otto et Henricus fratres, in tabulis Genealogicis Carpzouii et Sommersbergii habentur, sed Iohannem, Henrici filium, frustra in iisdem requires: quae res documento est, tabulas Sommersbergianas non accurata cura esse confectas, aut cum diplomatis collatas.

§. 22.

IAROSLAVS cum IV. fratribus.

A. 1360. Carolus IV. Imperator et Rex Bohemiae, Iaroslao de Donyn et fratribus eius, Bernhardo, Ottoni, Henrico et Wenceslao, oppidum Newenrode ac curiam et molendinum ibidem, cum alio molendino in Woldicz, nec non quinque villas Volpreczdorf, Hugisdorf, Cunczendorf, Ludweigsdorf et Kunigswalde, quae singula ab Hancone Wuschub sua pecunia comparauerant, beneficii loco, siue, vt vulgo dicere solent, in feudum, concessit. [e])

d) Dipl. apud Eundem III. p. 47. 48. 49.
e) Dipl. apud Glafey Anal. I. p. 75.

JENCZO de Donyn.

Occurrit in diplomatis Bolkonis, Ducis Monsterbergensis, inter testes ab a. 1364. vsque ad a. 1398. nullo tamen alio charactere dignitatis addito. [f])

§. 23.

CZENKO cum Fratribus.

A. 1384. Czenko de Donyn, residens in Castro Friedland, Senatui Zittauiensi portionem suam villae Hartau, pro CXC. sexagenis; Wilhelmus vero et Henricus, fratres de Donyn, Burggrauii et Domini in Graeuenstein, portionem eiusdem villae, ad se spectantem, pro CL. marcis Zittauiensibus vendiderunt. [g])

§. 24.

A. 1387. Henricus et Wilhelmus modo dicti eidem Senatui iura sua in quibusdam villis vendiderunt, prout testatur diploma huc vsque ineditum, quod huc adpono.

Wir Heinrich *und* Wilhelm *gebrüder, gnant von* Donyn, *Burggrafen und Herren zu dem* Grevensteine, *Verkauffen den Erbaren Richter, Bürgemeister, Schœpfen, Rathmann und Geschwornen, auch der gantzen Gemeine der Stadt zu der* Zittau, *das Forwerg zu* Luptin, *mit allen seinen gærten, die darein gehœren, mit æckern, wiesen und allen zugehœrungen, Darzu alle herrschaft und obriste gerichte des Dorffes zu* Poritzsch, *und auch die herrschaft und obriste gerichte des Dorffes zu* Wenigen Schoenau, *aufsgenommen des*

f) Exc. apud Sommersbergium I. p. 411. 412.

g) Carpzouius Analectis Zittauiensibus II. 2. 4. p. 310.

des Edlen hern Czencken von Donyn *gütter, die er hat mit allen rechten in demselbigen dorff zu* Schoenau, *Auch ist begriffen in demselbigen rechten, wie das die zweene Capellane, der zu* Groth *zu der Capellen, und der Caplan zu St. Barbara Capelle gelegen vor dem* Grevenstein, *haben sollen auf ihren güttern ihre zinse und die schlechten Bussen gerühiglich und ewiglich, ohne alle hindernisf, und nicht mehr. Vnd wer es sache, das ihn ihre zinse iemand verzœge und nicht gebe, das solten sie vorklagen dem Erbrichter, da die gütter inne gelegen sind, der soll ihn darzu helffen, das ihn ihre zinse folgen, ieglicher auf seinen tag ohne hindernisf. Auch ob derselben Caplan vntersassen keiner vorkauffen welde, das soll er thun mit wissen und mit leube seines herren, donn er zinset, und man soll dornach dieselben gütter,* [h]) *gelegen sein mit ihren reinen und lachtern, als sie vor alters gelegen sein. Dieselben rein und luchten anzuheben an der* Vllersdœrffer *Bach, als sie fællet in die* Neisse, *alles aufwerts zumercken in derselben bach bis gen* Wersdorf *in das dorff, und dornach ferner die mark und die reine aufzunehmen und zu merken hinter dem einen garten gelegen an dem forwerge über an des Erbaren* Nitschen Craw *rein und erbe: denselben rein ferner bis an das ende, denn an des strengen* Frenzels von Tyrzendorff, *gesessen zu* Schoenau, *rein und erbe, fernerhin zu dem ende desselben* Frenzels *erbe an die* Scheidebach, *und dieselbe* Scheidebach *wider zwischen den zweyen dœrffern* Zittel *und* Friedersdorff, *bis aber hie nieder an die* Neisse, *und die* Neisse *alles auf an demselben uber bis wider an die* Vllersdorffer *bach, da sie in die* Neisse *fællt;*

h) Hic quaedam deesse videntur.

fællt; um tausent und funf und dreyssig mark und 40. groschen prager groschen unser Stadt zahl. Dessen sint gezeugen die Edlen hern Czencko von Donyn, *herr* Wentsch, *herr* Benesſ *sein Sohn, herr* Hansz *und* Friedrich, *und aber herr* Friedrich, *herr* Hansz *Sohn, unser lieben vettern, auch genant von* Donyn, *und die gestrenge wohltügende knechte*, Albrecht Magkrisch, Wœrffel von Henewald, *und* Otto von Tschirnhausen, *unser lieben getreuen manne. Geben zum* Grevenstein *auf dem hause, nach Christi geburth 1387. an S. Johannes tage des Tæuffers.*

Has literas habuit quoque Carpzouius, et earum mentionem facit loco, ad quem modo prouocauimus, qui et simul addit a Wenceslao Rege hanc venditionem a. 1390. confirmatam fuisse. Hoc vero mirandum, ipsum in serie Genealogica nihil ex hoc documento profecisse. Nam is in tabula Genealogica Czenkonem Plebanum in Grotha vocat, Henricique ac Wilhelmi fratrem statuit: quum tamen is Czenko miles et possessor castri fuerit, *Nobilis* quoque titulo mactatus, quae singula in Clericum aut parochum minime conueniunt; neque fratris nomine hic veniat. Caeterum ille Henricus de Donin, a. 1385. et sequentibus Capitaneus districtus Francosteinensis fuisse legitur. [i])

§. 25.

GIRZICO s. GEORGIVS de Donin.

A. 1390. Kal. Octobris, Georgius de Donyn, Armiger, Ecclesiae in Kystra, in villa Donyn vnam sexa-

i) Nic. Henelius in Chron. Monsterbergensi tom. I. Sommersbergiano p. 219.

ſexagenam et dimidiam annui cenſus, pro remedio animarum Rzehniconis, parentum et maiorum ſuorum, obtulit, teſte inter alios Theoderico Praepoſito Slanenſi. A. 1411. d. 5. Dec. famoſus vir Girzico de Donin, reſidens ibidem, fatetur, ſe decem ſexagenas groſſorum a quadam moniali Pragenſi accepiſſe, et pro ea vnam ſexagenam annui cenſus perſoluturum. [k]) Habes hic aliam Donin villam in tractu Slanenſi Bohemiae, habes quoque nobilem de Donin, qui tamen cum Burggrauiis noſtris nihil habuit commune. Igitur haec et alia huiusmodi nos cautiores reddere debent, ne ceſpitandi nobis anſa praebeatur. Iam ſuperius §. 19. aderat Wenceslaus de Donin, isque a Burggrauiis diſtinctus. Dubitabam, quid de ipſo ſtatuerem: an ſpurius habendus eſſet, an fortaſſe miniſterialis et praefectus Donenſis. Nam medio aeuo in regionibus noſtris praefecti nomina praefecturarum ſuarum ad poſteros propagare ſolebant: vnde ſaepius occurrunt Domini *de Dobelin*, *de Mogelin*, *de Zurbeke*. Sed iam alia nobis familia nobilium Donenſium occurrit, quae dubium omne remouet.

BERNARDVS.

A. 1413. Bernardus de Donyn, Eques, Henrico Stoſchio, praedium ſuum, quod *maius Schiltberg* dicitur, in Ducatu Monſterbergenſi ſitum, vendidit. [l])

IOANNES, et tres alii.

A. 1425. Ioannes Burggrauius de Donyn, teſtis eſt in literis Conradi Epiſcopi Wratislauienſis. [m])

A. 1429.

k) Balbinus in Erectionibus p. 236. 298.
l) Henelius in Chron. Monſterbergenſi p. 171.
m) Dipl. apud Sommersbergium I. p. 382.

A. 1429. idem Ioannes, qui dudum ius patronatus et praesentandi ad Ecclesiam parochialem in oppido Gorensi habuit, consentiente Conrado Episcopo laudato, ne post mortem suam dissensio oriretur, Conradum de Donyn, item Heinczonem filium olim Heinrici de Donyn, patruos suos, Concollatores Ecclesiae modo dictae nominauit. n) Ex his patet, Ioannem sine liberis decessisse, qui, vna cum Conrado, in Genealogiis Donensibus nusquam comparet. Heinczo vero Henrici filius Carpzouio fuit cognitus.

§. 26.

FRIDERICVS, Dominus in Auerbach.

Memoratur inde ab a. 1423. quum scilicet Fridericus Landgrauius arcem Donam cum aduocatia Alberto Karas ad triennium concederet, intercessit hic Fridericus Burggrauius, quem conditorem lineae Auerbachiae, et in praelio iuxta Austam a. 1426. mortem oppetiisse testatur Carpzouius.

FRIDERICVS, Fil. Dominus in Auerbach.

Hunc plane non memorauit Carpzouius, et fortasse cum superiore eundem existimauit: Sed ego illum ex documeutis fide dignis erui. A. 1455. Consiliarii Friderici Electoris Saxoniae et alii arbitri cum Friderico Burggrauio de Dona egerunt, quum nimirum hic Fridericus possessiones auitas recuperare niteretur, teste Carpzouio, o) qui rem ex documentis ipsis enarrat, bene autem egisset, si illorum nobis fecisset copiam *) A. 1459. quum Albertus Marchio

n) Dipl. apud Pez et Hueber Cod. dipl. part. III. p. 149.
o) Carpzouius p. 18. b.
*) Reperitur quoque inter testes, in diplomate pactorum dotalitiorum Friderici de Schoenburg et Elisabethae

chio Brandeburgicus, arbiter electus, inter Georgium Bohemiae Regem, et Fridericum, Electorem, fratremue Guilielmum, Duces Saxoniae, lites componeret, id quod Egrae die Mercurii post festum Georgii contigit, inter alia quoque Donensium Burggrauiorum mentio fit, qui dimidiam partem arcis Donensis reposcebant; Igitur Albertus laudatus dicit, negotium illud a se et Rege Bohemiae ante festum Natiuitatis Christi compositum, et debito fine terminatum iri. p) Quod qua ratione factum sit, quum documenta in lucem nondum prodierint, adfirmare haud licet. Inter testes illius Compositionis expresse habetur *Fridericus Burggrauius de Donyn, Dominus in Auerbach.* Eodem die testem egit in diplomate duplici, quum coniunctio haereditaria, quae

Bohe-

bethae de Guttsceyna, eodem anno, die lunae post festum paschatos, idiomate bohemico scripto, quod vid. *im Alten aus allen Theilen der Geschichte* P. VII. p. 20 sq. *Edit.*

p) Dipl. apud Io. Ioach. Müllerum *im Reichstags-Theatro vnter Frider. V.* 2. *Vorstell.* c. 9. p. 537. *in der Chur Sæchsischen kurzen vorlæuffigen Anzeige Beyl.* n 14. *in der Schœnburgischen vorlæuffigen Gegen-Anzeige Beyl.* R. du Mont Corps diplom. du Droit des Gens Tom. III. part. I. p. 252. Verba huc pertinentia in gratiam Lectoris hic inseruntur: *Fœrder ist auch durch Vns etwa des edlen hern Friedrichs von Dona Kinde wegen beredt und beteidinget; nachdem sie Forderung und Ansprache vermeinen zu haben zu dem halben Schloss Donin mit seiner Zugehorunge, dass sie solcher Forderunge (wegen) sollen bleiben bey Unsern lieben Herrn und Schwager dem Kœnige und uns Marggrafen Albrecht, und wie Wir sie darum, doch die Leben hindangesetzet, werden entscheiden, dabey soll es bleiben, und zwischen hie und Weynachten nechstkünftig zu Ende komme, ungefährlich.*

Bohemiae cum Saxonia intercessit, renouaretur: q) item quum Fridericus et Wilhelmus iuri suo in vrbibus quibusdam Bohemicis renunciarent. r) A. 1482. alii adhuc arbitri ab Ernesto et Alberto, fratribus Saxoniae Ducibus, Egram ablegati sunt, vt ibidem controuersia inter ipsos et filios Friderici Donensis componeretur, teste rursum Carpzouio.

ZENKO, Dominus in Auerbach.

Neque hunc habet Carpzouius: occurrit autem inter testes, a. 1482. quum illa *Vnio haereditaria*, quam vulgo vocant, inter Regem Bohemiae et Duces Saxoniae rursus innouaretur: id quod Brixiae Bohemicae accidit, die Sigismundi Regis. s)

§. 27.

IOANNES cum fratribus, Domini in Koenigsbrück.

Hos a. 1489. Ioannes Episcopus Misnensis, de quinque marcis annui prouentus in villa *Smorko* districtus Camenecensis, nec non expectatiuae in curia et praedio ibidem post obitum Elisabetae Olsnitiae, simultaneo inuestiuit, docente illud codicillo clientelari, quem integrum appono:

Wir von Gotts Genaden Johannes Bischoue zw meissen, bekennen vnd thun kunt an diessem vnnsren offin Briue vor allermenniglichen, die on sehen oder horn lessen,

q) Dipl. apud Müllerum *im Reichstags-Theatro vnter Maximiliano I. 4. Vorstell.* c. 9. p. 253. *in der Vorlæuffigen Anzeige Beyl.* n. 15. *in der Gegen-Anzeige Beyl.* S.

r) Dipl. *in der Gegen-Anzeige Beyl.* T.

s) Dipl. ibidem *Beyl.* V. apud Lünigium *Reichs-Archiv* part. spec. *von Sachsen* p. 10. vbi perperam legitur *Zwenckau*: du Mont Corps dipl. III. part. 2. p. 94.

leſſen, das wir den Edlen Hern Hanſsen, Nickeln vnd Merten, gebrudern Burggrauen von donen, Hern zw konigſsbruck, vnnſrn lieben getrawen, vnd oren Rechten leybeſs lebenſs Erben, funff margk geldes Rechter Jarrente im Dorffe zw Smorcke, in der Camitzer Pflege gelegen, von vns vnd vnſerm Stifft der kirchen zw meiſſen zw lehen Rurende, vnd die Anwartung vnd Anfall an dem Sitz vnd forbergk doſelbſt, den izund die Erbare Frawe elizabet, Boſsen von der olſsnitz gotſeligen nachgelaſſene Wietbe, vnſer lieber beſunderne zw oren lipgedinge zcucht inhat und beſitzt, in der Camizſchen pflege gelegen, von vns vnd vnnſren Stiefft der kirchen zw meiſſen zw Leben rurende, mit Eckern, wieſſen, Wieſſewachſſen, Zcinſsen, fronen, Dinſten, Buſchen, ſtreuchern, holzern, Welden, Waſſer, Waſſerleufften, teichen, Teichſtetten, Fiſchereyn, Vietrifften, Eren, nuczen, wirden, freyheitten, gewonhaitten, gerechtikeitten, gerichten oberſten vnd niederſten, vber hals vnd hant, allen andern ſeinen jn und zw geborungen, nichtes vſsgeſloſſen, Sunder jn aller maſse, wie daſs jn ſeynen Vierreynen, wie vor alderſs gelegen, begrieffen iſt, vnd ſie dieſs von vnnſren furfarn Biſchoue zeliger vnd loblicher gedechtnuſs, vnd dem Stiefft zw rechten geſampten manleben redelichen herbracht, vnd ſollich anwartung vnd Anfall vf vflaſung vnd vorzcicht deſs Erbarn vnſren lieben Beſundern Jurgen von Luttiche jn furmundſchafft ſeyner Vnmundigen Bruder, ſo Er nach geburlicher weyſſe von vnnſren furfar Biſchoff Johanſsen gotzeligen daran gethan, kauffweyſſe an ſich gebracht, zw rechten geſempten manleben gereicht vnd geliben haben, mit allem Rechten vnſs zuvorleyhen angehorende. Reichen vnd leyhen den gemelten Burggrauen von donen ſollichen funff margk gel-

des mit sampt dem Aufall zw Smorcke, gegenwertig, jn vnd mit crafft diess Briues, die zwhaben vnd zwbesitzen, der zwgebrauchen vnd zwgeniessen, die auch wie sichs geburdt, zuuordienen, den leben, so offte die zw falle komen, rechte Volge zw thun, Vnd sich damit gezwhalten, wie gesampter Leben gutir Recht vnd gewonheidt ist, von vns, vnssern nachkomen vnd sust menniglichen daran vnverhindert, treulichen vnd ungeuerde, doch Vmsern vnd des Stifftss herlickeitten, rechten, Dinsten, vnd sust eynen iden an seynem Rechten, vnd der genanten frawen Elizabet Lipgedinge Im genanten Dorffe Smorcke, dass nach iren tode, vnd ehr nicht, an die Burggrauen von Donen vnd ore rechte Leybess Lebenss erben komen sal vnd gefallen, ane Schaden. Dabey seint gewest vnd gezceuge, die Erbarn Bertolt von techwitz Hauptm. zwm Stolpen vnd lieber getrewer, Hanss von Rodestack, Bernhardt stentz vnd sust ander vnnssere Diener vnd Hoffegesinde genug, den wol zw gelawben stehet. Zw Vrkunde haben wir Vnser Jngesigel an diesen Brieff, den wir darvber geben, wissentlichen lassen hengen, vnd gescheen zwm Stolpen, Mantagess nach dem Sontag Lætare nach Christi Geburde thusent Vierhundir vnd Jm Neun vnd achtzcigisten Jare.

Post obitum foeminae nobilis laudatae reliqua villae Smorko etiam ad Burggrauios nostros peruenerunt, teste *Indice beneficiorum* (barbare dicunt *Registrum feudorum*) *Ecclesiae Misnensis*, quod a me primum editum, [t]) post a Lünigio et Wabstio repetitum est. Caeterum hanc fratrum trigam in tabulis Carpzo-

t) Vide Append. ad hist. Wurcensem p. 49.

Carpzouianis et Sommersbergianis suo loco positam offendi.

§. 28.

ABRAHAMVS Donin.

Mentio eius fit in Diplomate anni 1490. quo Iohannes Episcopus Wratislauiensis hunc Abrahamum, qui sine adiecto Burggrauii axiomate, aut saltem Domini de Donin, sic, prout supra positum est, nominatur. Is Abrahamus Ius patronatus Ecclesiae Archipresbiteralis Gurauiensis in Silesia sibi vindicauerat, de qua re Clerus et Senatus apud Episcopum conquesti sunt. Quum vero is Episcopo citanti se non stitisset, inque visitatione vrbis modo dictae nollet adesse, illo iure patronatus ab Episcopo priuatus, et censurae Ecclesiasticae subiectus fuit. Domini vero huius vrbis ab illo iure semper seclusi in diplomate pronunciabantur, id quod ostendit, illum Abrahamum ad Burggrauios nostros pertinere, qui alias illius vrbis domini fuerunt. u)

IOANNES Senior et BERNARDVS.

Hos, quum alias nusquam compareant, conseruauit nobis historia Comitum Glichensium. Docet enim, Ioannis senioris filiam fuisse Magdalenam, Wolfgangi I. Comitis Glichensis coniugem, cum dote bis mille florenorum Rhenensium. Ipsum Ioannem a. 1516. Dominica inuocauit, fatis concessisse, filiam vero bonorum patriorum ex asse haeredem fuisse. Huius haereditatis caussa litem Comiti Glichensi cum affine Bernardo Burggrauio intercessisse,

u) Dipl. apud Pez et Hueber Cod. dipl. III. p. 428.

fisse, quae demum a. 1529. a suprema Curia prouinciali Electoris Saxoniae diremta fuit. [x])

§. 29.

Ex his omnibus, quae tantum Spicilegii loco ex lectione quotidiana congessi, satis constat, quantum adhuc in Genealogiis Burggrauiorum nostrorum superfit emendandum, etiam Carpzouianis et Sommersbergianis. Nam quotiescunque noua vel historicorum loca vel etiam diplomata quis nanciscitur, toties illa cum Genealogia sua comparare necesse habet; id quod qui omittit, officio suo non legitime perfunctus est. Hinc est, quod apud rerum peritos omnem fidem decoxerunt Genealogiae Kœnigianae in *Historia Nobilitatis Saxonicae*, vtpote quae neque testimoniis historicorum, neque diplomatis fide dignis, nec denique aliarum familiarum schematis ex debito respondent.

Sectio II.

Notitiam pragmaticam Burggrauiorum Donensium exhibens.

§. 30.

Historia vrbis et arcis Donensis.

Vt iam Burggrauios nostros penitius cognoscamus, necesse est, historiam vrbis et arcis Donensis praemittere. Adtigit illam iam Bartschius in historia vrbis Donensis, et excerpsit Heckelius, sed a me accepta, quod in praefatione gratus agnouit: nunc igitur

x) Sagittarii hist. Glichensis p. 290. Adde Tenzelii Coll. menstrua a. 1693. p. 666.

igitur iisdem, tanquam meis, in rem meam vti liceat. Prima eius mentio iniicitur a. 1107. et hac quidem occasione. Swantopelcus, Böemiae Dux, Wratislai Regis filius, Boriuoium fratrem eiecerat, qui ab Henrico Imperatore, ad quem confugerat, hoc impetrauit, vt frater in carcerem coniiceretur, ipse vero in Böemiam restitueretur. Boriuoius, cum suis Pragam petens, ad castrum *Donin* consedit, audito vero, Sobieslaum, alterum fratrem, qui a partibus Swantopelci stabat, cum exercitu copiosiore aduenturum, clam cum suis aufugit. [y]) Quae a. 1113. hic gesta sint, iam superius §. 4. tetigimus, vnde constat Donam tunc Imperatoris fuisse, quippe qui ibidem Praefectum constituerat Erckembertum. [z])

§. 31.

Qua ratione autem Imperator Donam sibi tunc subiecerit, silent Bohemorum scriptores. Auguror, id a. 1110. factum esse, quum ille in Bohemiam euocaretur, ad principes ibidem pacandos. Nam expressis verbis testatur Dubrauius, *Caesarem sui tunc non fuisse oblitum.* [a]) A. 1121. Wladislaus Bohemorum Dux castrum Donin reaedificauit. [b]) Igitur paullo ante fuerat destructum. Caussam addit scriptor ex recentioribus, [c]) Bohemos temporibus Henrici Imp. partem Lusatiae (superioris scil. vt scriptor ex more suorum temporum loquitur) eripuisse,

y) Cosmas Pragensis ad a. 1107. Anon. Chron. Bohemicum Tom. III. Menckenii c. 54. (vbi perperam scribitur *Diewyn*) Dlugossus hist. Polon. lib. IV. p. 369.

z) Adde Anonymum citatum c. 57.

a) Dubrauius lib. X. circa finem.

b) Cosmas Pragensis et Anonymus c. 59.

c) Boregk Chron. Bohem. p. 126.

puiſſe, et Duce Wladislao caſtrum Donin nuperrime occupaſſe. Addit Hagecius, Wladislaum cum Imperatore tranſegiſſe, vt caſtrum Donin ad Bohemiam rediret, quod tandem Imperator conceſſit, quia caſtrum illud ſibi non multum conduceret, et a Bohemis primo quoque tempore facili negotio poſſet occupari. Quo facto Dona ad Bohemos rediit. A. 1126. Sobieslaus, Bohemorum Dux, Wratislaum, nepotem, fratris Odalrici filium, Sobieslaum item et Brzecislaum, fratres, in caſtro Donin arcta cuſtodia teneri praecepit. [d]) A. 1139. Dona Bohemis adhuc parebat, quia, teſte Hagecio, Sobieslaus Dux, viduae Wiperti iunioris Groicenſis tertiam partem redituum illius, quamdiu ſuperſtes eſſet, permiſit. [e]) De Henrico, Praefecto arcis Doninenſis Bohemico, ſuperius §. 4. actum eſt.

§. 32.

Huc vſque Dona Bohemis paruit, ſed ab a. 1182. Burggrauii Marchionibus Miſnenſibus ſubfuerunt, vnde in comitiis prouincialibus, et alias, praeſto ipſis fuerunt, et in literis eorundem ſaepenumero teſtes citantur. Neque tamen proinde affirmandum erit, caſtrum noſtrum ab omni cum Bohemia nexu prorſus fuiſſe liberum. Adſunt enim literae Friderici II. Imp. a. 1212. datae, quibus poſt alias vrbes Donam quoque Ottocaro, Bohemiae regi, donat, addita tamen conditione, ſi illam a Marchione Miſnenſi reemere vel recuperare (*ausloeſen*) poſſet. [f]) Sic

d) Anonymus citatus c. 60.
e) Hagecius ad h. a.
f) Dipl. apud Eundem, Goldaſtum de regno Bohem. II. p. 175. Ei. *Reichs-Satzungen*, I. p. 30. Lünigs *Reichs-Archiv*

Sic habent verba diplomatis, quod germanica tantum lingua prodiit. Vestigia hic sunt pignoris, sed reliqua, quae ad totum negotium spectant, nondum sunt cognita. Miratu vero dignum est, quod Burggrauii, si arx ipsorum oppignorata fuit, potius inter Misnenses, quam Imperatorios vel Bohemicos, cooptari voluerint. Additur in diplomate memorato: Quod si Imperator arcem recuperare non posset, se alio modo illam compensaturum. Constat exinde, nexum illius arcis fuisse longe firmiorem, quam vt sola pignoris reluitione dissolui potuerit. Verum vbi silent historiarum monumenta, nemo aegre feret, si certi nihil adferre audeamus.

§. 33.

Ab eo tempore Episcopi Misnenses domini primarii (*directos* hodie vocant rerum clientelarium periti) fuerunt arcis Donensis, possessores autem, qui vsum et fructum arcis et praediorum adiacentium habuerunt, (*dominium vtile* vocant,) fuerunt Rex Bohemiae et Marchiones Misnenses. Quo vero tempore atque occasione insignis haec mutatio contigerit, nemo huc dum aperire potuit. Credibile est, *oblatum* fuisse illud beneficium, idque in honorem Sanctorum, qui Episcopatui Misnensi praestites dati sunt, Ioannis et Donati, pro more illorum temporum, nescio an satis laudando. Burggrauii autem, quia sub initium seculi XIII. plura in terris nostris praedia sibi comparauerant, horum caussa Marchioni

 vtique

Archiv part. spec. Cont. I. p. 232. vbi loco *d XV. Oct.* teste Balbino, legendum *VI. Kal. Oct.* nam sub initium mensis Octobris Imperator non amplius Basileae fuit, sed Haganoae.

vtique subfuerunt, et dimidiam arcis suae partem iisdem obtulisse videntur. Beniamin Leuberus memoriae prodidit, [g]) Wenceslaum, Bohemiae regem, cum filiam Agnetem Henrico Illustri, Marchioni Misnensi, in matrimonium collocaret, Burggrauiatum Donensem simul in generum eiusque posteros transmisisse. Sed fides eius in talibus admodum est dubia, quippe qui in rebus gestis antiquorum saepenumero plura videre solet, quam re ipsa contigerunt.

§. 34.

A. 1300. XIII. Kal. Maii Wenceslaus, Bohemiae Rex, literis, sigillo appenso confirmatis, fatetur, se Dresdam, Radebergam, siluam Fridewald et castrum Donin ab Episcopo Misnensi in feudum habere et tenere, vt verba diplomatis habent, eiusque inuestituram se praesentem ab Episcopo petiisse ac recepisse, quippe qui *caputium*, hoc est, capitis tegumentum, sibi exhibuerit. [h]) Hic de toto equidem castro sermo est, sed intelligendum est, prout tempora tunc ferebant, de illa scil. parte castri, quae ad regem Bohemiae spectabat. A. 1318. Otto senior Burggrauius affirmat, se *duas arces* in Donin Marchionum Misnensium agnoscere beneficium. Vide supra §. 12. Simile quid contigit a. 1329. vbi simul ius aperturae Marchioni promittitur, §. 14. Similem aperturam Otto iunior in dimidia parte castri Donensis a. 1347. concessit. §. 15. Contra a.

1331.

g) Leuberus in Dedic. Disquisitionis de Stapula Saxonica, ad Senatum Lipsiensem.

h) Dipl. apud Weckium Chron. Dresdensi p. 161. Lünig *Reichs-Archiv* part. spec. Cont. II. *von Sachsen* p. 179. Sommersbergium S. R. Siles. III. p. 219. et alios.

1331. Ioannes, Bohemiae Rex, a. 1336. fatetur, se bona ad castrum Donin spectantia, (de ipso castro hic sermo non est,) ab Ecclesia Misnensi in feudum honorabile collata accepisse, et per birretum Episcopi inuestitum fuisse. [i]) A. 1341. Fridericus et Otto Burggrauii castrum Donin, huc vsque pignoris loco possessum, haereditario iure acceperunt. §. 17. A. 1344. Otto Heide propter castrum Donin se Marchioni subiectum, et aperturam ipsi debere, fatetur. §. 18.

§. 35.

A. 1372. quum Coniunctio haereditaria (*Erb-Einigung*) inter Bohemiam et Landgrauios rursum innouaretur et confirmaretur, in enumeratione clientum Bohemicorum recensentur etiam Burggrauii Donenses cum vno castro Donin, et reliquis eo spectantibus, quae beneficium erant regni Bohemici. [k]) Post illud tempus, (Heckelius auguratur, a. 1397. id contigisse,) pars Bohemica arcis Donensis Marchionibus Misnensibus oppignorata fuit. Constat hoc ex literis Sigismundi Imperatoris a. 1422. datis, in quibus haec verba germanico idiomate leguntur: *Quod si contingat, vt nos praetensionem nostram in arces Ilburg, Donyn, Colditz, Bernaw, et alias, prosequi velimus, quas Agnati nostri supra dicti a regno Bohemiae et clientibus illius sibi tribuerunt etc.* [l])

i) Dipl. apud Heckelium in descript. arcis Koenigsteinensis, p. 17.

k) Dipl. in *Müllers Reichstags-Theatro Frid. V. 2. Vorstell.* p. 526. *Schoenburgischen Vorlæuffigen Gegen-Anzeige* Beyl. Q. Lünig Cod. Germ. dipl. I. p. 1346. du Mont Corps diplom. II. Part. 1 p. 91.

l) Dipl. apud Hornium in Friderico Bellicoso p. 860.

Contra vero a. 1433. Fridericus, Thuringiae Landgrauius, Friderico et Sigismundo, Saxoniae Ducibus, portionem ſuam Marchionatus Miſnenſis, in qua Dona noſtra locum habet, vendidit. [m]) Poſt illa tempora, quum Bohemi a. 1454. a Miſnenſibus reſtitutionem variarum vrbium et arcium vrgerent, in quas, neſcio quo iure, dominium ſibi ſupremum arrogabant, ab Hildebrando Einſidelio, Friderici Electoris Legato, hoc reſponſi, quod ad Donam ſpectat, tulerunt: *Vnam ex arcibus Donenſibus Burggrauios tenuiſſe, et propter illam clientes Marchiae Miſnenſis: alteram arcem ſimili modo Miſnenſe beneficium fuiſſe.* [n]) Coronidis loco adiungenda ſunt quaedam ex Indice clientelarum Epiſcopatus Miſnenſis, qui anno circiter 1480. confectus eſt: *Sereniſſimus Rex Bohemiae tenet ab eccleſia Miſnenſi in feudum, medietatem caſtri et ciuitatis ſiue oppidi Donen, cum ſiluis ac omnibus attinentiis ad medietatem ſpectantibus. Illuſtriſſimi Marchiones Miſnenſes tenent in feudum Donen, medietatem caſtri et ciuitatis ſiue oppidi, cum ſiluis et omnibus attinentiis.* [o])

§. 36.

Domini directi arcis Donenſis.

En tibi, Lector, farraginem narrationum, huic fini a me collectarum, vt exinde perſpicerem, tibique aperirem, ad quemnam dominium ſupremum arcis et vrbis Donenſis ſpectauerit. Hoc extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, *Reges Bohemiae* primos

m) Excerpta dipl. apud Heckelium l. c. p. 33.
n) Exc. apud Eundem l. c.
o) Append. ad hiſt. Wurcenſem p. 60.

mos fuisse illius possessores ac dominos. Deinde translatum est illud dominium ad *Imperatorem Romanum;* et sic bina vice variatum est: sed adeo obscura sunt terrarum nostrum monumenta, vt certi nihil inde elicias. Seculo XIII. *Episcopi Misnenses* dominium in vtramque arcem Donensem et oppidum acquisiuerunt, ita, vt tum Rex Bohemiae, tum Marchiones quoque Misnenses illas beneficium Episcopi agnoscerent. Quod vero in narratione modo exhibita iam Reges Bohemiae, rursus vero Marchiones Misnenses totam Donam sibi solis adscripserint, nulla partis alterius mentione iniecta, illud sane non nisi per lapsum scribarum (*errorem Cancellariae* stilo pragmatico hodie vocamus) contingere potuit, qui plerumque temporibus priscis supina rerum patriarum ignorantia laborabant, id quod alio tempore et loco plenius a me indicabitur.

§. 37.

An Fridericus Paruus Donam Wenceslao Regi Bohemiae permutauerit?

Adsunt literae, non semel typis expressae, quae docent, Fridericum, Henrici Illustris filium natu minimum, qui propterea *Paruus* p) dicitur, ipse vero se *Marchionem de Dresden* vocat, Dresdam, Pirnam, Donam, et plures arces et vrbes vicinas, a. 1289. Wenceslao Bohemorum Regi permutasse, ab ipso vero Cygneam, Hohensteinium, et alia quaedam loca nactum fuisse, vna cum 4500. marcis annuorum redi-

p) Nostris hic Fridericus vulgo *der Klemme* cognominatur, sed non recte adsecuti sunt ductum scribentium: debebant enim legere *der Kleine*, quia natu minimus erat filiorum Henrici.

redituum. q) Et ne quid de rei veritate dubitemus, aſſerit Balbinus, r) exemplum authenticum illarum in archiuo Carlſteinenſi hodieque occurrere. Porro proſtant literae Rudolphi Imperatoris, eodem anno datae, quibus teſtatur, Fridericum Marchionem terras modo dictas ſibi reſignaſſe, ſe vero illas Wenceslao Regi in beneficium tradidiſſe. s) Hoc igitur documentum hiſtoriae omni contradicit, quapropter Tenzelius illud omnino ſuſpectum haberi cupit. t) Verum non opus eſt, vt eo procedamus, quum alius adſit modus, quo nos ex tota re feliciter extricemus. Nimirum impedita eſt illa permutatio a fratre et agnatis Friderici noſtri, neque Bohemia vnquam harum terrarum poſſeſſionem nacta eſt. Et poſſum ex toto hiſtoriae nexu pluribus probare, neque illa, quae rex Bohemiae Friderico promiſit, ad eundem vnquam perueniſſe. Ne dicam, Fridericum ex odio tale quid ſuſcepiſſe, quod nec ipſe, nec rex Bohemiae praeſtare vnquam potuit.

§. 38.

Vrbes, caſtra et praedia Burggrauiorum Donenſium.

Nunc ordo requirit, vt bona Burggrauiorum noſtrorum tangamus, quantum quidem fragmenta hiſtoriarum, quae ſuperſunt admodum exigua, concedunt, eaque ordine alphabetico tradamus. Sed non niſi

q) Dipl. apud Balbinum Miſcell. lib. VIII. p. 274. Becklerum in hiſt. Howorea II. p. 89. Lünigium, du Mont, Hofmannum, et alios.

r) Balbinus Epit. rerum Bohem. III. 18. p. 310.

s) Dipl. apud Goldaſtum de regno Bohemiae II. p. 187. Lünig part. ſpec. Cont. I. *von Boehmen*, Suppl. p. 232. du Mont et Hofmannum.

t) Tenzelii Vita Friderici Admorſi p. 968.

nisi de illis agendum erit, quae in Misnia sita sunt, quum de reliquis Carpzouius quaedam collegerit. Si literae clientelares plenae essent, quas Sigismundus Imperator a. 1423. Nicolao et Jeskoni, Burggrauiis, concessit, vbi termini illorum a fluuio Lockwitz incipere, et versus montes Bohemicos porrigi dicuntur, [u]) tunc plenior illorum notitia tradi posset.

1. *Boernichen*, proxime adiacet Bossendorffio, a. 1312. portio fuit dominii Rabenau, et monasterio Cellensi dono data fuit. §. 12.

2. *Bossendorff*, villa notissima, vno milliari ab vrbe Dresdensi remota: partem eius superiorem, *das Oberdorff*, Jasko Burggrauius, a. 1397. Laurentio Busmanno, Senatori Dresdensi, et multorum praediorum possessori, vendidit. §. 19.

3. *Doebela* quondam Burggrauiorum fuit, quod dubio caret. Sed quae de historia illius antiquiore nota sunt, fide Peckensteiniana, h. e. admodum dubia, proferimus. Is asserit, Doebelam a. 1150. a Burggrauiis nostris muro cinctam, et vsque ad a. 1292. possessam fuisse. Hoc autem tempore Sobieslaus Smildonynsky, Bohemus, cum militibus suis Doebelam inuasisse, et arcem simul cum vrbe euertisse narratur. [x]) At hoc est contra omnem historiam, quae docet, vrbem laudatam iamdudum ante illa tempora Marchionum Misnensium fuisse. Transeat igitur hoc cum caeteris nugis Peckensteinianis.

4. *Dresdae* curiam habuerunt, quam Jenchinus quidam de Papperzan beneficii loco a Burggrauiis obti-

u) Dipl. apud Lünig. *Reichs-Archiv* part. spec. Cont. I. *von Boehmen*, p. 73.

x) Peckenstein Theatr. Saxon. III. p. 113.

obtinuit, obtenta vero ab ipsis venia, monasterio Vetero-Cellensi dono dedit, id quod factum est a. 1332. §. 14. Quae de iure in pontem Dresdensem vulgo tradunt, ea inferius examinabuntur.

5. *Dresen* villa situs incerti, cuius hodie fortasse nihil superest: eam a. 1362. Ioannes Maltitz monasterio Veteris Cellae vendiderat. §. 18.

6. *Goerschen maius*, prope Luzenam oppidum: ibi Burggrauii nostri a. 1273. Abbati S. Petri Martisburgensi aduocatiam mansorum XVII. vendiderunt. y)

7. *Gorkewitz*, hodie *Gorknitz*, Vitzthumiorum praedium. z) A. 1321. duo fratres Burggrauii partem illius monasterio Cellensi legarunt. §. 14.

8. *Heidenau*, villa ad Müglicium sita, vbi se in Albim exonerat. Arbitror, nomen illius ab Ottone Burggrauio, cui cognomen erat *Heiden*, deriuandum esse. Recentiorum temporum possessores enarrat Bartschius p. 92.

9. *Jahnspach*, hodie *Johnsbach*, villa iuxta Glashüttam. Vlricus de Jahnspach a. 1332. vasallus erat Burggrauiorum, qui a praedio suo cognomen ducebat, vnde concludo, illud fuisse in clientela Donensium. §. 14.

10. *Kotta*, haut procul ab vrbe Pirna. Hanc a. 1311. Burggrauii, resignante nexum clientelae Tilicone de Haugwitz, Gunthero de Karas concesserunt. §. 12.

11. *Lindenau*, iuxta Koetzschenbrodam. Ibi vinea cum quibusdam bonis a. 1287. et 1321. beneficium

y) Brotuffii hist. monasterii S. Petri, *in der Ober-Saechsischen Nachlese*, XII. p. 180.

z) Adde Bartschii hist. Donensem, p. 95.

ficium fuerunt Burggrauiorum Honspergiis concessum. §. 10. 15.

12. *Lipen:* ibi a. 1352. quosdam census habuerunt. §. 18. Locus ignotus.

13. *Maxen*, prope Donam, a. 1397. possedit Reinhardus Karas, p. 19. vnde coniicio, feudum fuisse Burggrauiorum. Hodie praedium est Schoenbergiorum.

14. *Merewitz*, ibi a. 1332. census quosdam habuerunt, monasterio S. Afrae donatos. §. 14. Hodie pronunciant abbreuiate *Mertz*, et prope Lommatiam quaerenda est.

15. *Mogelin*, hodie *Mügeln*, vbi fluuiolus *Mügliz* se in Albim praecipitat. Fridericus de Mogelin, vasallus Burggrauiorum, testis fuit a. 1397. §. 19. familia eius post exstincta est. Possessores recentiorum temporum memorat Bartschius p. 91.

16. *Nauendorf*, a. 1312. ad Dominium Rabenau spectauit, §. 12. et monasterio Veteris-Cellae traditum est. Hodie dicitur *Ober-Nauendorff*, et Rabenouiae vicina est.

17. *Paulsdorf*, eadem de illa tenenda, quae modo n. 16. dicta sunt. Sita est inter Seyfersdorff et Dippoldiswaldam.

18. *Potzschappel*, ad fluuium Weiseritz, haud procul a villa Doelen, vbi Burggrauii quosdam agros habuerunt a. 1286. §. 10.

19. *Rabenau*, quondam dominos suos habuit,[a]) et sub nomine dominii ad Burggrauios dotis loco peruenit circa a. 1300. §. 12. Sequentibus temporibus

a) conf. Diploma anni 1387. §. 19. a nobis additum. *Editor.*

bus aliquoties memoratur, quae singula in schediasmate vernaculo, a. 1740. a me edito, collecta inuenies.

20. *Ranis maius*, a. 1242. militi de Schosetrode in feudum fuerat concessum. Non liquet.

21. *Rikuz*, a. 1288. ad monasterium Buchense peruenit, §. 10. Hodie dicitur *Rüx*, haud procul a Colditio situm.

22. *Schirne*, hodie *Zschieren*, ad Albim sita est. Waltherus de Schirne a. 1332. Burggrauiorum Vasallus erat. §. 14. Lutoldus de Schzerin a. 1397. §. 19. De statu eius recentiore agit Bartschius p. 99.

23. *Schreckenstein*, castellum ad Albim in finibus Bohemiae, nunc dirutum. Wilhelmus Cocles Burggrauiis eripuit, sed post pugnam Aussigensem ad Bohemos peruenit. [b])

24. *Siversdorf*, hodie ad praefecturam Dippoldiswaldensem spectat, non procul ab vrbe dissita, pars fuit dominii Rabenau. A. 1282. quidam census, [c]) a. 1312. tota villa ad monasterium Cellense peruenit, idque liberalitate Burggrauiorum. §. 10. 12.

25. *Smorko*,

b) Io. Conr. Knauth in Continuatione Prodromi hist. Misnensis MS.

c) Supra iam ad §. 10. annotauimus hanc villam Seifersdorf in qua anno 1282. Otto Burggrauius monasterio Veteris Cellae quosdam census tradidit, esse eam quae inter monasterium et vrbem Freibergam sita est, hodieque ad praefecturam Freibergensem pertinet. Sed et alteram huius nominis villam prope Dippoldiswaldam sitam atque olim ad dominium Rabenauiense pertinentem, Burggrauios Dohnenses possedisse, diploma supra §. 19. prolatum certissimum facit. *Editor.*

25. *Smorko*, villa districtus Stolpensis, feudum fuit Ecclesiae Misnensis, teste Indice feudorum iam memorato.

26. *Tworne*, hodie *Qworen*, haud procul a Bossendorffio. A Burggrauiis per partes ad Busmannos Dresdenses ciues peruenit a. 1327. 1397. 1412. §. 14. 19.

27. *Weissenburg*, castrum, sub clientela Marchionum Misnensium a. 1318. §. 12. de quo plura dare non licet.

28. *Wesenstein*, castellum hodie illustrium Bünauiorum haud procul a Dona situm. Olim fuit Burggrauiorum, sed a Wilhelmo Coclite occupatum. [d])

29. *Werda*, vrbs Misniae, haud procul a Cygnea, vnde Ioannes, Burggrauius Donensis, membrum fuit societatis Calendarum Cygneensis. [e]) Circa a. 1400. Fridericus Landgrauius, cognomine Bellicosus, hanc vrbem a quodam Burggrauio Donensi aere suo comparauit. [f]) Neque obstat, quod asserit Io. Tylichius, [g]) castra Smolin, Ronneberg et Werda ab Episcopo et Capitulo Numburgensi fuisse emta: nam beneficia fuerunt Episcopatus modo dicti, possessores autem habuerunt alios, nexu clientelari subiectos.

30. *Wintersteín*, teste Knauthio, fuit arx Burggrauiorum: forte in monte, qui hodie *Winterberg*, situm. [h])

31. *Wiz-*

d) Heckels *Beschreib. von Koenigstein*, p. 30.
e) Blumbergs *Abbildung des Kalands*, p. 136.
f) Schmidts *Zwickau. Chron.* p. 445.
g) In Contin. Annalium Vetero-Cellensium, Tom. II. Vindemiarum Schannati p. 89.
h) Heckel l. c. p. 5.

31. *Wizces* vel *Wizsoke* a. 1235. ad monasterium Cellense peruenit. Quae illa sit, affirmare non sustineo. Si coniicere liceat, fortasse fuit *Weissig* haud procul a villa Doelen, quae olim *Weissag* scripta fuit.

32. *Wolframsdorf*, beneficium Wladislai Bohemiae Regis, a. 1232. Ecclesiae Misnensi donatum. §. 6. Fortasse est *Wolmsdorf* iuxta Radebergam: vel etiam iamdudum periit, et subditi alio sunt translati.

Superest

Auerbach, vrbs Voigtlandiae, quam linea quaedam Burggrauiorum nostrorum tenuit sec. XV. postquam a prisca maiorum sede fuerant expulsi.

§. 39.

Clientes siue Vasalli Burggrauiorum.

Ex illorum numero non nisi sequentes annotaui.

1. Henricus *Chorun* a. 1232. villam Rikuz a Burggrauio tenebat. §. 6.

2. Quidam de *Gosa* circa a. 1313. cui Ionas Burggrauius a. 1313. feudalia quaedam iura concessit. Haec narrat Salomon Neugebauerus in Selectorum Symbolorum Heroicorum Centuria gemina (Francof. 1619. 8uo.) et quidem in Dedicatione. [i])

3. *Tielico* de *Haugwitz* villam Kotta habuerat ante a. 1311. §. 12.

4. Thilmannus vel Thilico de *Hoynsberg*, habuit a Burggrauiis villam Lindenau, a. 1287. §. 10.

Filii

i) Ex eadem annoto, quum libellum sub initium laboris mei nondum habuerim, Ottonem Henrici filium sub a. 1230. Episcopo Misnensi non pauca dono dedisse, et templum, quod Donae est, Deiparae virgini dedicasse.

Filii eiusdem Fridericus, Theodericus et Reinhardus memorantur a. 1321. §. 15.

5. Vlricus de *Ianspach* a. 1332. vasallus fuit Burggrauiorum. §. 14.

6. Guntherus de *Karas*, a. 1311. villam Kotta possedit. §. 12. Reinhardus vero Karas in Maxen memoratur a. 1397. §. 19.

7. Ioannes de *Maltitz*, a. 1362. villam Dresen habuit. §. 18.

8. Fridericus de *Mogelin* occurrit a. 1397. §. 19.

9. Waltherus de *Schirne* in clientela nostrorum fuit a. 1332. §. 14. Lutoldus de Schzerin, eadem gente ortus, a. 1397. §. 19.

10. Scilmo miles de *Schosetrode*, habuit Ranis maius, a. 1242. §. 8. Supersunt duo vasalli ordinis ciuici,

11. Ienchinus *Papperzan*, qui curiam siue domum Dresdae a Burggrauiis in feudum habuit, a. 1332. §. 14.

12. Helwigus *Schneider*, ciuis Dresdensis, census in villa Lipen possedit, a. 1352. §. 18.

Ex nobilibus procul omni dubio plures fuerunt, quorum memoriam nobis tempus edax rerum inuidit. [k])

k) Vnum addere possumus qui nexu clientelari anno 1387. cum Burggrauiis Donensibus coniunctus fuit, et in Diplomate §. 19. subiecto inter testes occurrit et vocatur: *Kletebuch vnse man* i. e. vasallus noster. *Editor.*

§. 40.

De Scabinatu Donensi.

Erunt fortasse, qui actum me agere credent, dum de Scabinatu, quem vocant, Donensi quaedam superiori tractationi addere animus est. Exstat sane in Obseruationibus Hallensibus tomo X. *de Burggrauiatu Donensi, eique annexo Scabinatu* tractatio, quae auctorem habet Andream Ockelium, Scabinum, et postea Consulem Hallensem, (*Magistrum Senatus* ibi vocare solent:) id quod exinde mihi constat, quia librum suum de Palatio Regio Hallensi n. 7. excitauit. Repetita est illa obseruatio in historia Donensi Christiani Bartschii, cui tamen nullam plane lucem adfert. Fuit alias ille Ockelius in Iure ciuili non mediocriter versatus, sed in rebus aliis, quibus historiarum cognitio facem praeferre debet, neque lectione bonorum auctorum, neque iudicio rerum ex iisdem eliciendarum, sufficienter instructus. Nolo prouocare ad iudicium Io. Petr. Ludewigii, qui, quem viuum sic satis laudauerat, mortuum, vt leguleium et cerebrosum hominem, damnauit. [1]) Ille igitur Ockelius in hac de Scabinatu Donensi materia tam vbique palpitat, tam nullis vestigiis sat firmis incedit, vt, ipsum in re seria ludere, non immerito credas. Non est, quod otium meum singulis recensendis perdam, aut Lectores sine caussa fatigem. Sufficiat haec paucis indicasse, vt ad rem ipsam remotis ambagibus progrediamur.

§. 41.

1) Ludewig. praefat. Tomi X. Reliqu. p. 60. annot. b.

§. 41.

Burggrauii sunt Praefecti Scabinatuum.

Burggrauii Donenses, perinde ac alii, qui dignitatem suam beneficii loco ab Imperatoribus obtinuerunt, duplici axiomate sunt gauisi, altero militari, altero ciuili. Ad prius quod spectat, ipsorum erat, arcem fidei suae concreditam contra insultus hostiles defendere, et nationes praecipue Slauicas arcere, ne in terras ab Imperatoribus recens acquisitas impetum facerent, et Christianis excursione saepius iterata molestiam exhiberent. Tum vero iustitiam quoque sibi subiectis administrarunt, ita, vt Ecclesiarum simul essent Aduocati: vbi vero templum cathedrale non erat, collegio tamen iudicum, quos mediis temporibus voce germanica *Scabinos* dixerunt, praefuerunt Burggrauii, ita, vt inter suos lites diiudicarent, ab exteris autem quaesiti de iure responderent. Licebit hic prouocare ad Magdeburgenses, Misnenses et Wirceburgenses, qui Ecclesiae suae defensionem armatam susceperunt: iidem vero cum reliquis Noribergensibus, Leisnicensibus et Donensibus praefecturam Scabinatuum suorum obseruarunt, primis quidem temporibus ipsi sua respicientes, postea vero, quum ad Principum dignitatem adspirarent, et Imperatoribus, nec non aliis principibus, praesto essent, aliis in locum suum subrogatis.

§. 42.

Historia Scabinatus Donensis.

Vt igitur rem ordine adgrediamur, primum notitiam historicam huius iudicii dabimus, deinde vero, quid exinde doceamur, perspiciemus. Prima illius mentio huc vsque mihi occurrit a. 1325. in litteris,

quibus Ioannes Lucemburgensis, Bohemiae Rex, ciuitati Pirnensi amplissimum illud priuilegium de exoneratione et expositione mercium per Albim deuectarum, (*Ius Stapulae* vocant stilo sequiorum temporum) denuo confirmauit. In illis ciuitati modo dictae hoc indulget, vt, si a iudicibus nobilibus Donensibus non ex voto ius ipsis dictum sit, vel sententia huiusmodi iniuriam sibi factam esse constet, ipsi rusticos illorum nobilium (qui tunc homines erant nexu mancipioque ad ipsos spectantes) captiuos ducerent, quousque sibi de iustitia legitime administranda cautum existeret. m) Constat ex his litteris, Ioannem regem non vrbis solum Pirnensis, sed et procul omni dubio castri Donensis, fuisse dominum. Quomodo enim vindicias secundum libertatem vrbi laudatae contra Donenses potuisset concedere, si ipsi nihil in eosdem iuris competiisset? At vero hoc ipsum dissertatione superiore, vbi de Dominis agri et arcis Donensis actum fuit, monere neglexi, quum fieri vix possit, vt, in tantis historiae nostrae tenebris, omnia simul perspecta, et quasi in numerato habere liceat.

§. 43.

m) Dipl. apud Hornium in Henrico Illustri p. 374. Verba sunt haec: *Indulgemus præterea nostris civibus et eorum successoribus sæpe dictis, quod, quandocunque eorum aliquis per nobiles viros de Donyn de ipsorum hominibus quibuscunque justitiam pro causis suis non fuerit debitam consecutus, ex tunc in restaurum hujusmodi justitiæ consequendæ eorundem nobilium homines, cujuscunque status et conditionis extiterint, ac eorum res, in ipsa civitate nostra Pirnensi detinere proinde et occupare valeant, ac etiam arrestare.*

§. 43.

Ab illo tempore per integrum seculum et dimidium nihil de Collegio nostro memoratu dignum occurrit. Circa annum demum 1470. aut 1480. Henricus Ruthenus Plauiensis, Dominus in Graetz, Scabinos nostros consuluerat de controuersia, quae ipsi cum Gunthero Bünauio, Elystrobergensi, de villa *Koschwitz* intercesserat. Nostri vero hac formula respondent: n) Si Henricus Ruthenus septem viros, genére nobiles et fama honestos, testes citare posset, quod ipse et maiores sui hanc villam possederint, iuraque omnia maioris et minoris ordinis quiete administrauerint, curia quoque clientelari domini sui, Ducis Saxonici, hoc ipsum confirmante, tunc Bünauium videri litem perperam mouisse, o) atque ob id recte in ius vocari posse. Sigillum proprium Scabini non appenderunt, sed Bartoldi Gerungi, qui Scribam (hodie *Secretarium* vocant) Collegii fortassis egit, sigillo, decretum suum communierunt. p)

§. 44.

A. 1505. Sigismundus Dux Silesiae, cum Iudicium Nobilitatis Glogouiensis q) priuilegio suo confirmaret, hoc addidit, integrum esse nobilibus, vt suas ipsi controuersias decidant: quod si vero vtraque pars ad Scabinos Donenses vel Magdeburgenses prouocare velit, et hoc ipsis licere. Si vero alterutra

n) Verba: *Hierauf sprechen wir manne der Donischen pflege vor recht.*

o) Verba: *Hat Günter von Bünau ichts Vngerichts gethan oder sich obergriffen.*

p) Dipl. *in der Ober-Saechs. Nachlese* VIII. p. 692. Bartschium in hist. Donensi p. 139.

q) Germ. *das Glogauische Manngericht.*

vtra pars domi potius, quam apud extraneum iudicem, lites dirimi cupiat, tum illud, ad sumtus lucrifaciendos, esse consultius. [r]) A. 1513. feria tertia post festum S. Dionysii, Iudicium Equestre habitum est Donae, impetrante Georgio Karas in Kathewitz, cui nomine principis praefuit Güntherus de Bünau, Praefectus terrae Pirnensis (*Landvogt.*) Iudex erat Ioannes de Rottendorff, Senior, Assessores, Fridericus de Rottendorff, Henricus de Staupitz, Henricus de Lupsdorff, Georgius de Bernstein, Caspar Robur, Georgius Karas, possessor curiae superioris in Reinhartsgrimme, Sigismundus de Wurgewitz, Nicolaus de Carlwitz, et Melchior de Korbitz. Quid vero ibidem negotii gestum fuerit, silent historiarum monumenta. [s]) Eodem tempore viuebat Ioannes de Salhausen, Episcopus Misnensis, qui, cum simultates aleret cum Georgio Saxonum Duce, et ab hoc ipsi exprobraretur, quod Curiam Episcopalem Miscnensem aedificare quidem coeperit, sed absoluere non potuerit: Episcopus regessit, iustum esse, vt Dux de rebus a se ipso gestis, vel potius neglectis, esset sollicitus. Notum enim, Episcopum esse dominum clientelarem arcis Donensis et Doebelensis: vtramque vero ex incuria Ducis ruinae quam proximas esse: quod autem praecipuum, Scabinatum ab vrbe Dona remouisse, qua re iura summa Episcopatus non mediocriter imminuta fuerint. [t])

§. 45.

r) Dipl. apud Io. Iac. a Weingarten in Fasciculo diuersorum Iurium Silesiae lib. 2. p. 84.
s) Heckel *Beschreib. von Koenigstein.* p. 24.
t) Senff *Hist. zweyer Befehdungen.* p. 26. 27.

§. 45.

A. 1541. Ferdinandus, Bohemiae Rex, Iudicio Nobilitatis Glogouiensis hoc permisit, vt lites clientelares et beneficiarias Donensibus, bonorum vero haereditariorum (*allodiales* vulgo vocant) Magdeburgensibus diiudicandas transmittere possent. u) A. 1547. quum idem Ferdinandus vrbes Lusatiae superioris denuo in gratiam reciperet, in priuilegiis inter alia quoque cautum fuit, ne vrbes illae Scabinos Magdeburgenses, Lipsienses et Donenses in posterum consulerent, aut ad eosdem prouocarent, sed potius Pragam hoc nomine se conuerterent. x) A. 1561. Simon Pistoris, Iureconsultorum Lipsiensium primus, nomine Scabinorum Donensium, y) ad quaestionem viri nobili genere nati respondit, quaenam res ad portionem matronalem haereditariam, (*Geradam* hodie dicimus) spectent, quae minus. z) Adest responsum simile, de bonis clientelaribus familiae nobilis in Pomerania, quorum partem frater, conscio quidem domino beneficii, Comite Nouogardensi, sed insciis fratribus reliquis, vendiderat: id quod in fraudem fratrum fieri potuisse Donenses negarunt. a) Tandem Augustus Elector Saxoniae, quum a. 1574. Scabinatum Lipsiensem renouaret,

u) Dipl. apud Weingarten l. c. p. 87.
x) Dipl. Zittauiense apud Grosserum *Lausitz. Geschichte* I. p. 186. Excerptum Goerlicensis apud Carpzouium *Ob. Lauf. Ehren-Tempel* I. p. 151. Exc. vtriusque apud Ludewig. Reliqu. X. p. 555. 556.
y) *Sprechen wir Schœppen zu Donaw vor Recht.*
z) Andr. Goldbeck de iure Geradae p. 42.
a) Ge. Beatus Miscell. part. 1. c. 27. Bartschius in hist. Donensi p. 146.

quae altera ipsius fundatio dici poterit, testantur Lipsiensium historici, Heidenreichius et Vogelius, Scabinatum Donensem cum Lipsiensi fuisse coniunctum, quamuis in diplomate illius renouationis b) ne verbum quidem de hoc negotio reperiatur.

§. 46.

Pauca sunt haec fragmenta, quae ad notitiam Scabinatus nostri faciunt, sed tamen sic comparata, vt appareat, quaenam illius, tum personarum, tum rerum ibidem tractatarum conditionem si consideremus, fuerit ratio. Initia quidem illius nos latent, non tamen est dubium, quin ab ipsis Imperatoribus sint deriuanda, quum nullus vnquam Principum Germanicorum, antiquioribus illis temporibus, iura Collegiorum, quae ius dicant, aut de iure respondeant, erigendorum sibi arrogauerit. Personae vero fuerunt viri nobilitate generis conspicui: hoc enim sibi vult vox: *Mannen der Donischen pflege*, §. 43. quae tunc temporis hoc modo posita viros nobiles denotauit. Et probamus illud ipsum ex numero iudicum illius a. 1513. qui erant nobiles in vicinia vrbis Donensis habitantes. Ad res quod spectat, apparet ex iis, quae huc vsque protulimus, Donenses praecipue in eiusmodi litigiis fuisse consultos, quae inter nobiles inualuerunt, ita, vt exterarum quoque terrarum incolae crediderint, nostros in talibus fuisse exercitatissimos.

§. 47.

b) Dipl. apud Lünigium *Reichs-Archiv* part. spec. Cont. II. p. 779. et Christ. Thomasium in Annalibus, post Testamentum Melch. ab Ossa, p. 125.

§. 47.

Dominium supremum huius Scabinatus, ex ratione modo adducta ad Imperatorem spectasse primis temporibus, non immerito statuendum. Quum vero Dona sequenti tempore dominos saepius mutauerit, tum Reges Bohemici, tum Marchiones Misnenses ius supremum huius Collegii sibi vindicarunt: imo quoque Episcopi Misnenses, quia et hi partem arcis Donensis iure quodam sibi vindicabant. Patet autem ex his, Burggrauios Donenses Collegio huic Scabinorum non proprio iure praesedisse, verum beneficio Dominorum superiorum illud ipsum accidisse. Videat igitur Andreas Ockelius, qua ratione illud assertum defendere queat, quando ait, Celsissimos (at vero hic more hodierno Principum titulus est) Burggrauios Donenses posse ius illud antiquum vindicare, et Consessum Scabinorum, vbicunque liberet, instituere. Mirum est, Iurium Doctorem in rebus politicis tam parum fuisse peritum, vt nesciret, ad iura maiestatis id referendum esse, si quis Consessum huiusmodi virorum, qui lites aliorum diiudicent, condere velit. Nisi enim princeps auctoritatem addat Scabinis, horum responsa nullius erunt apud exteros pretii.

§. 48.

Memorandus hic quoque Beniamin Leuberus, vir, qui in historia patriae nostrae multa ex ingenio suo fingere solitus fuit: is ius Marchionum Misnensium in hunc Scabinatum ait ex traditione Wenceslai, Regis Bohemiae, ortum, qui, vtpote Vicarius Imperii generalis in terras Misnenses, quum Helenam filiam, Henrico illustri a. 1263. coniugem daret, hunc Vicariatum dotis loco in generum transmiserit.

miserit. Memini me huius rei iam supra strictim mentionem iniecisse, sed fundamentum eius admodum est lubricum. Nam, vt de tempore, quod non congruit, nihil nunc dicam, primo loco illud notandum, Vicariatum Imperii nullum esse perpetuum, sed cum electione noui Imperatoris, vel etiam reditu eiusdem, quum peregre abiisset, exspirare. Deinde Wenceslaus ille quidem titulo *Vicarii Generalis per terram Misnensem, Orientalem et Plisnensem*, fuisse gauisum, sed nullae adsunt litterae ante a. 1298. hoc ipsum testantes. [c]) Et re ipsa Vicariatus ille nullus erat. Adolphus Imperator filio Regis Bohemiae filiam in matrimonium collocauerat, dotem vero promissam quum exsoluere non posset, terram Plisnensem, quae tunc ad Imperium spectabat, ipsi oppignorauit. [d]) Quidam, turbido illo in terris nostris tempore, ex nobilibus, Bohemiae vicinis, quum Marchionum, vtpote principum suorum, tutela frui non possent, interea in fidem et tutelam regis Bohemiae concesserunt. Sed nihil exinde lucri ad Wenceslaum promanauit. Disiectis enim turbis, omnia ad pristinam regionis formulam redierunt. Vt taceam, Burggrauiatum a. 1325. (vide §. 42.) in Regum Bohemicorum fuisse potestate. Idem Leuberus [e]) somniat, Wenceslaum Imperatorem, cum Imperio se abdicasset, Vicariatum Misnensem et Plisnensem sibi reseruasse. Omnia sine testibus.

c) Dipl. apud Gribnerum Progr. de titulo Vicarii generalis Wenceslao tributo p. 7.

d) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. V. p. 435. Lünigium Cod. Germ. diplom. I. p. 971.

e) Leuberus de Stapula Saxonica n. 117. Adde Hornii Henricum Illustrem p. 136. 137.

teſtibus. Nec de abdicatione credibile eſt, quum Wenceslaus a titulo Imperatoris nunquam abſtinuerit.

§. 49.

Ioannes Friderichus, Wolfeshuſio Francus, [f]) Profeſſor Lipſienſis, in Oratione funebri, quam Carolo, Burgrauio Donenſi, dixit, quum dicaſterii Donenſis mentionem feciſſet, poſtea ſic pergit: *Et fuerunt illius Iuris, quod Donenſe vulgo eſt appellatum, etiam annis paulo ſuperioribus, aliquae reliquiae, quae tamen ipſae quoque, obliterato nomine, iam penitus exoleuere. Ius Donenſe* memorat, quod mihi nusquam alibi occurrit. *Ius Magdeburgenſe* ſat notum fuit, imo tota fere Germania, et in exteris regionibus, celebratiſſimum. Donenſes non leguntur aliquid ſcripto comprehendiſſe, neque crediderim, inter hos viros nobiles fuiſſe, qui Iurium ita fuerint periti, vt ea literis mandare auderent. Nam plerique Germaniae noſtrae Scabini, vltra *Speculum Saxonicum*, *Ius Weichbildicum* et *Feudale* non ſapiebant, cum hodiernis Scabinis minime comparandi, conſuetudinum tantum et priſci moris gnari et tenaces. Fortaſſe igitur Friderichus improprie locutus eſt, *Iuris Donenſis* nomine reſponſa Scabinorum Donenſium indigitans.

§. 50.

f) In Theatro honoris Carpzouiano II. 19. hic ita allegatur IO. FRIDER. WOLFF. quaſi nomen ipſi fuiſſet *Wolfii:* non credo virum accuratum ceſpitaſſe, ſed vel ſcribam, vel etiam mendarum typographicarum correctorem, hic aliquid commiſiſſe.

§. 50.

Ius in Pontem Dresdensem.

Haec de Scabinatu, restat, vt de iure in pontem Dresdensem paucis agamus. Hic quidem primo proferenda erunt, quae veris documentis comprobantur, deinceps vero traditio, credulitatem nimiam sectans, diiudicabitur. Hoc certissimum est, insignia Burggrauiorum Donensium lapidi insculpta in ponte nostro fuisse conspicienda. Quam vero antiquitatem illa exhibuerint, nemo, quantum sciam, docuit. Prima notitia huius iuris exstat a. 1549. quum Christophorus, Burggrauius Donensis, die Lunae post festum Assumtionis Mariae, tabulam protulit siue indicem, quantum vectigalis quaeque vectura, quae per pontem transit, Burggrauio soluere debeat. [g]) Ille Christophorus, Praefectus Lusatiae superioris, improlis obiit a. 1560. [h]) quo facto nostri, Saxones scilicet, crediderunt, hoc beneficium Electori apertum esse, et ad ipsum recidisse. Ita sensit Senatus Dresdensis in litteris, quarum paullo post mentionem faciemus. Sed longe aliud ex tabulis Ferdinandi II. Imp. constat, quibus a. 1562. dominium Koenigsbrück in Lusatia superiore, cum omni-

g) Carpzouius *Ob. Lauf. Ehren-Tempel* II. p. 22. a.

h) Erratum typographicum irrepsit l. c. Carpzouii, vbi linea vlt. loco *der jüngere Herr von Dobna*, legendum *derjenige Herr*. Nam ille ipse fuit Christophorus, prout ex Tabula Genealogica apud Carpzouium p. 39. patet. Idem deriuatum est in opus Clar. nostri Schrammii *Hist. Schauplatz von Brücken* p. 22. emendandum vero ex Append. Documentorum n. XXIII. vnde haec relatio petita: ibi enim expresse habetur, *derjenige Herr*.

omnibus ad illud pertinentibus, quibus etiam adnumeratur vectigal in ponte Dresdensi, prout illud ab antiquo ad praedictum dominium spectauit, [i]) et prout per mortem vltimi possessoris Christophori, Burggrauii Donensis, ad se peruenerit, Casparo, Burggrauio Donensi, domino in Straupitz, soluto quadraginta millium imperialium pretio, vendidit. Iam vero in schemate Genealogico Carpzouiano Casparus, Ioannes, Nicolaus et Martinus, Burggrauii Donenses, a. 1472. porro [k]) Wenceslaus a. 1410. qui praelio Tannenbergensi interfuit, domini in Koenigsbrück vocantur, idque ex diplomatibus, ad quae prouocat, nondum editis: [l]) igitur verum fuit, et esse potuit, quod diploma Ferdinandeum de diuturna possessione illius vectigalis pronunciauit.

§. 51.

Quanti vectigal illud fuerit, vel exinde apparet, quod Caspar, Burggrauius laudatus, Georgium Winckelmannum, ciuem Dresdensem, illi exigendo praeposuerit, quadraginta ipsi florenos annuos pro opera praestita promittens. Verum annis plerisque viginti tres aut quatuor, nunquam vltra triginta florenos,

i) Verba diplomatis inediti haec sunt: *desgleichen dem Zoll zu Dresden auf der Bruggen, wie der von alters her bemelter herrschaft zustendig.* Notandus hic rursum est error typographicus in Genealogia Carpzouiana p. 39. vbi legitur: *Casparus Bgr. in Dona* verkaufft die Herrschafft Königsbrück 1561. emenda erkaufft vel kaufft et 1562.

k) Dlugossus Hist. Polon. lib. XI. p. 270. inter captiuos numerat. Idem *Wenceslaum de Dunin*, *Bohemum* vocat, quia inter auxilia Bohemica fuit, et Lusatia tunc regi Bohemiae parebat.

l) Adde Appendicem hist. Wurcensis p. 49.

renos, venerunt, ita quidem, vt sexaginta et quinque florenos Burggrauius ipsi debuerit. Quum vero Burggrauius pecuniis opus haberet, Senatus Dresdensis ipsi trecentos florenos dedit mutuos, fructusque illius exegit vectigal pontis. [m]) A Casparo Burggrauio Donensi dominium Koenigsbrück postea emtionis iure peruenit ad Christophorum a Schellendorff, Praefectum Comitatus Glacensis, [n]) et hoc a. 1583. in arce Koenigsbrück mortuo, [o]) ad filium Carolum Magnum a Schellendorff. Hic post aliquod temporis spatium, vt ius suum amplificaret, Rudolpho II. Imperatore illud a. 1595. d. 14. Febr. commendante, a Friderico Wilhelmo, Electoratus Administratore, hoc postulauit, vt sibi taberna in ipso ponte, pro vectigali exigendo, aedificanda concederetur. Princeps noster a Senatu Dresdensi doceri cupit, quid de hoc vectigali tenendum; is d. 20. Iunii respondet, habuisse Burggrauios Donenses exiguum aliquod in ponte nostro vectigal, idque a Marchionibus Misnensibus, post Electoribus Saxonicis, beneficium agnouisse. Quum autem negotium Schellendorffio sic non procederet, aliam sibi viam ineundam existimauit. Aegidius Traeger, Consul Camentiensis, qui vir mira alios persuadendi facultate pollens praedicatur, praefectis Imperatoris in Lusatia hoc vectigal sic commendauit, vt illud in gratiam Imperatoris a Schellendorffio emerent, Aegidio interim praemium laboris ducentos imperiales nacto.

m) Carpzouius l. c. p. 23.

n) Dipl. apud Schrammium *Beyl.* n. 24.

o) Aelurii Glaciographia p. 371.

nacto. p) Res ex animi ſententia procedit. Nam Schellendorffius *portionem ſuam* in telonio Dreſdenſi, (ſic enim habent verba literarum) Rudolpho Imp. pro tribus florenorum millibus vendidit. Literae datae ſunt Budiſſae, Kal. Sept. 1599. q) Hic illud mihi notatu dignum videtur, quod nunc *portio quaedam* huius vectigalis ad Schellendorffium ſpectauerit, ſupra vero a. 1562. *indefinite* vectigalis mentio facta eſt: forte enim alia quaedam portio ad Senatum Dreſdenſem ſpectauit, idque trecentorum florenorum habita ratione, de quibus modo dictum eſt. Rudolphus Imp. a. 1600. d. 18. Maii literas Pilſenae datas Friderico Wilhelmo, Saxoniae Duci, miſit, vt, quia vectigal pontis ad ſe perueniſſet, locum ſibi in ponte concederet, exigendo vectigali aptum: idemque aliis literis ad Chriſtianum Electorem a. 1603. d. 31. Aug. et 20. Oct. item a. 1604. d. 21. Maii et 21. Dec. repetiit. r)

§. 52.

Poſt illud tempus, Schrammius ponit annum 1607. vel ſequentem, beneficio Imperatoris, cui Carolus Magnus illud conceſſerat, s) vectigal ad Burggrauios Donenſes rediit. Et in gratiam Abrahami, qui Praefectus erat Luſatiae ſuperioris, Matthias Imp. a. 1612. Kal. Aug. reſcripſit ad Electorem, vt ad colligendam tertiam vectigalis partem ad ipſum ſpectantem, exactor vel in vrbe vel extra illam verſari permitteretur. Interceſſit vero a. 1613. mors

p) Carpzouius p. 22. 23. ex Actis a ſe inſpectis.
q) Dipl. apud Schrammium *Beyl.* n. 24.
r) Carpzouius p. 23.
s) Koenig *Adels-Hiſtorie* I. p. 887.

mors Abrahami, quo minus negotium perficeretur. Filius et successor Abrahami, Carolus Hannibal, Imperatorem rursus adiit, hic vero repetitas ad Electorem literas d. 4. Nou. a. 1617. dari iussit. [t]) Elector anno sequente d. 15. Ian. Burggrauio scripsit, ignotum sibi esse, quo titulo Imperator tale quid a se postulare queat; ipse igitur doceat, qua ratione et quo tempore maiores ipsius hanc tertiam vectigalis partem acceperint, a quo illud concessum sit, an Donenses continuata possessione gauisi sint, et per quosnam illud exactum fuerit, tum se porro consultaturum, quid sibi agendum esset. [u]) Huc vsque historia vera, quantum monumenta residua docent: nam ab illo tempore altum de iure Burggrauiorum in hunc pontem est silentium, et credibile est, illos nihil vltra mouisse.

§. 53.

Sequitur, vt etiam historiam ἄδηλον de hoc iure breuibus exponamus. Et hic quidem apud scriptores recentiores vtramque facit paginam Conradus I. Burggrauius Donensis, Aloysii de Vrpach filius, quem vergente seculo IX. vixisse, et initia huius pontis fecisse aiunt. Atqui vero illis temporibus regio nostra Soraborum potestati subiecta erat, paludibus et nemoribus obsita, sic, vt nullius vel Burggrauii, vel Pontificis vestigium apud nos existeret. Nam sequenti demum seculo Henricus I. Imperator, victis Hunnis, et Sorabis sub iugum missis, has terras more Germanorum colere coepit, et tamen vna cum successoribus

t) Dipl. apud Carpzouium p. 23. Bartschium in *hist.* Donensi p. 150. Schrammium n. 25.
u) Dipl. apud Carpzouium p. 24. Schrammium n. 26.

cessoribus per integri seculi decursum parum aut nihil profecit. Alii, Conradum I. nominari videntes, Imperatorem huius nominis elegerunt, minime illud pensitantes, ante tempora Henrici Aucupis, qui Conrado I. successerat, nemini Imperatorum aliquid in Sorabos iuris competiisse, quippe qui populus erat liberrimus, non nisi maximis exercitibus sub iugum mittendus. Aegre in hunc campum delabor, vbi maiorum nostrorum fingendi cacoëthes damnandum est: Sufficiant igitur haec, quae cum quadam nausea toties inculcare cogimur.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

VI.

Notitia Burggrauiorum Altenburgensium.

Burggrauii Altenburgenses non omnino nullum in historia Saxonica nomen obtinuerunt. Et hodienum insignia ipsorum tum ab Electoribus, tum quoque Ducibus Saxoniae retinentur, id quod non sine ratione ab iisdem factum esse quilibet facile existimabit. Quapropter vtique operae pretium erit, vt de illis aliquantum simus solliciti. Quamuis vero non omnia sic exhausta proponere queam, vt nihil de illis porro monendum esse arbitrer, tamen primas huius notitiae lineas ducere non erit prorsus incongruum. In duas autem sectiones laborem dispescemus, quarum prior Historiam siue nudam relationem eorum, quae de his Burggrauiis occurrunt, continebit: altera vero, notitiam eorum pragmaticam exponet.

Sectio I.

Historia Burggrauiorum Altenburgensium.

§. 1.

Vlricus, Burggrauius incertus.

Primum ex his Burggrauiis vulgo tradunt Vlricum, qui ab Henrico Aucupe statim post has terras occupatas, in hanc dignitatem constitutus sit, qui praelio ad Martisburgum contra Hunnos, et postea ludis hasticis siue torneamentis Merseburgicis interfuerit. Testes huius commenti sunt Rüxnerus, Albinus, Dresserus, Vulpius, et, quod mireris, ipse Paulus Martinus Sagittarius, qui alias vltra vulgus sapere didicit. Sed eadem facilitate, qua haec ab aliis finguntur, ab iis, qui meliora sentire didicerunt, reiiciuntur, hac ratione inductis, quod nullus antiquiorum scriptorum illius mentionem facit.

§. 2.

HENRICVS I.

Occurrit a. 1172. inter testes in litteris fundationis et confirmationis monasterii Altenburgensis. [a]) Neque testis solum fuit. Nam prout testatur pronepos eius Theodericus in diplomate a. 1301. dato, [b]) *hic in initio fundationis ipsius Ecclesiæ pro fundo monasterii et ambitu cæmiterii et structuræ adiacentis, et populi circumsedentis, totum montem cum metis et limitibus suis aquas attingentibus, cum omni iure et iudicio, tam vitæ quam mortis, emunitati tradidit*

a) Dipl. apud Schwarzium Mantissa ad Petri Albini Geneal. Comitum Leisnicensium p. 1069. 1071.

b) Dipl. ibid. p. 1180.

didit per manum Gloriosi Domini Romanorum Imperatoris Friderici primi etc.

In litteris memoratis a. 1172. mentio fit etiam *Rudolfi de Aldenburg*, qui Imperialis Curiae Marscalcus fuit, sed qui militis tantum nomine citatur in altero diplomate a. 1301. quare ad nostros non pertinet; vti nec *Sifridus et Gerhardus de Aldenburg*, quorum a. 1181. in diplomate monasterii Pegauiensis mentio fit. c)

§. 3.

HERMANNVS.

Fuit vna cum aliis Burggrauiis et ministerialibus a. 1200. in prouinciali placito Colmicensi, et inter testes occurrit, quum Theodericus Marchio Misnensis fines monasterii Dobrilucensis confirmaret. d) Vbi notandum, quod a Schlegelio, qui autographum manibus triuisse videtur, expresse editum sit, *Burgrauius de Altenburg*; in editione autem Ludewigiana scribitur *Burgrauius de Hartburg*, quod miror et in versione antiqua Germanica occurrere. Quia tamen Burggrauios *de Hartburg* alibi nondum inueni, hunc sane Altenburgensibus non immerito vindicabimus.

§. 4.

ALBERTVS I.

Henrici I. filius, id quod testatur diploma a. 1301. modo §. 2. adductum. Mentio eius prima vice fit a. 1212. in transactione inter Ottonem IV. Imp. et

 Theo-

c) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. II. p. 201. et Schwarzium p. 1027.

d) Dipl. apud Schlegelium de Cella Veteri p. 36. Ludewig. Reliqu. I. p. 36. Schwarzium p. 1029.

Theodericum Marchionem Misniae, vbi inter sponsores, qui pro Imperatore promiserunt et iurarunt, inuenitur. [e]) A. 1213. Henricus de Wydach et frater suus Albertus Burggrauius de Aldenburg testes citantur in literis Friderici Imperatoris Hospitali Altenburgensi datis. A. 1221. 15. Kal. Aprilis interfuit tricenario post excessum Theoderici Marchionis celebrato, et inter testes connumeratur, quum monasterium Veteris Cellae ab omni telonio immune pronunciaretur. [f]) A. 1222. 8. Id. Iunii, quum Ludouicus Thuringiae Landgrauius, tutor Henrici Illustris, placitum prouinciale in villa *Delz* iuxta Weissenfelsam celebraret, Albertus noster vna cum aliis multis adfuit. [g]) A. 1223. Albertus de Vroburg, Praefectus in Aldenburg, vna cum aliis senioribus illius terrae coram Gunthero de Crimascowe, Iudice prouinciali terrae Plisnensis in fauorem monasterii Aldenburgensis de piscina quadam testimonium perhibuit. [h]) Naturae debitum hic Albertus persoluit a. 1228. vel 1229. quod testatur diploma Engelhardi, Episcopi Numburgensis, a. 1229. datum, in quo legitur, ipsum in Ecclesia S. Mariae in Altenburg, et quidem ad altare S. Pauli, sepultum esse, ante obitum vero tres mansos in *Lubewiz* eidem ecclesiae donasse, vnde quaedam ad vsus luminarium, alia

e) Dipl. apud Maderum Antiq. Brunsuic. p. 128. Schwarzium p. 1031.

f) Dipl. apud Knauthium Chron. Vetero-Cellens. VIII. p. 54.

g) Dipl. in hist. mea Wurcensi p. 722.

h) Dipl. apud Liebium in Spicilegio historiae Henrici III. p. 16.

aliá in anniuersario illius eroganda essent. [i]) Idem Albertus monasterio Altenburgensi quatuor mansos castro et Lysauiae adiacentes pro XCV. marcis vendidit, quam pecuniam in obsequio Friderici II. Imperatoris expendit, qui ipsi propterea ciuitatem *Lopschitz* haereditario iure possidendam concessit. Porro idem eidem monasterio quinque mansos in *Stenewize*, quos Andreas miles dictus de Lisauia ab ipso beneficii loco tenuerat; item tres mansos in villa *Gnaswitz* cum suo principali, videlicet duobus talentis et duodecim solidis, monasterio iam dicto in vsum Infirmariae et Custodiae, concessit. [k])

§. 5.

HENRICVS II.

Praefectus de Aldenburg a. 1227. inter testes occurrit in litteris Engelhardi Episcopi Numburgensis, in quibus dotem villae *Trebene* confirmat. [l]) Plura de eo nondum inueni.

Monachus Pirnensis, Io. Lindnerus, Juttam, monasterii Cronschwizensis fundatricem, ex Burggrauiis Altenburgensibus oriundam esse credit, sed falso. Scriptores enim domestici testantur, eam ex Aduocatis Weidensibus prodiisse; quod hic monendum fuit, ne quid omisisse videamur.

§. 6.

ALBERTVS II.

Alberti I. filius. Hic donationem patris, de qua superius ad a. 1229. mentio iniecta est, post mortem

 ipsius

i) Dipl. apud Schwarzium p. 1072. 1181. et Liebium p. 45.

k) Dipl. apud Schwarzium p. 1181.

l) Dipl. apud Liebium p. 24.

ipſius confirmauit et ratam habuit. In litteris autem illis patrui ipſius *Conradus de Froburc*, et *Henricus de Flugellesberc*, cohaeredes ipſius, adiiciuntur, quod inferius nobis ad Genealogiam concinnandam alicui vſui erit. A. 123?. inter teſtes habetur in diplomate monaſterii Buchenſis A. 1255. teſtis fuit in diplomate monaſterii Dobrilucenſis m) et anno ſequenti in aliis litteris monaſterii Altenburgenſis, vtrinque in comitatu Henrici Illuſtris Marchionis Miſnenſis. n) Eodem anno in litteris modo dicti monaſterii, quas Erkenbertus Burggrauius de Starckenberg exarari iuſſit: o) ipſe quoque eidem monaſterio quosdam cenſus vendidit, quibus litteris ab eodem poſtea transſumtis monachi inſeruerant, tres manſos in villa *Gnaſchwitz* a parte ipſius monaſterio ſaepius memorato in proprietatem collatos eſſe. p) A. 1262. vna cum Henrico Epiſcopo Merſeburgenſi litem inter Albertum Epiſcopum Miſnenſem et Hugonem de Wolckenberg compoſuit. q) A. 1267. Albertus ſenior teſtis fuit in litteris monaſterii Heusdorffenſis ab Alberto Degenere datis, r) et a. 1269. in aliis eiusdem monaſterio Altenburgenſi conceſſis. s) Porro idem Albertus ciuitatem *Lopſchitz*, quam parens acquiſierat, *Henrico* militi *de Scheſchowe* vendidit. Trium quoque manſorum in villa *Gnaswitz*, quos

m) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. I. p. 78.
n) Dipl. apud Hornium Henr. Illuſtri n. 14. Gleichenſteinium Gotha dipl. V. p. 198 Liebium p. 25.
o) Dipl. in Koenigs Adels-Hiſtorie II. p. 338.
p) Dipl. apud Liebium Spicil Henrici III. p. 43.
q) Fabricius Annal. vrbis Miſnae.
r) Dipl. in Thuringia ſacra p. 353.
s) Dipl. apud Liebium p. 22.

quos pater cum censu principali monasterio Altenburgensi contulerat, *Censum secundarium*, qui *Castrensis* dicitur, videlicet siliginis tres modios, et auenae tres, cum nouem denariis, pro quatuor marcis eidem vendidit. Denique eidem monasterio contulit tres mansos in villa *Lubewitz*, ad anniuersarium suum et maiorum suorum celebrandum, candelas accendendas, conuiuium claustralibus, (quod tunc *seruitium* vocabant) et erogationem pauperibus faciendam. [t]) Annus, quo diem obiit, est incertus.

§. 7.

THEODERICVS I.

A. 1260. occurrit in litteris Lipsiae datis et ad domum Teutonicam Hallensem spectantibus. [u])

§. 8.

HENRICVS III.

Burggrauius de Aldinburg, Canonicus Hamburgensis, a. 1271. testis fuit in diplomate monasterii Bosaugiensis.

§. 9.

ALBERTVS III.

Alberti II. filius. A. 1275. fuit Iudex prouincialis terrae Plisnensis ab Alberto Thuringiae Landgrauio constitutus, et quaedam bona a Theoderico de Liznik resignata mon. Altenburgensi adiecit, iura quoque illius auxit. [x]) A. 1279. adhuc fuit Iudex generalis terrae Plisnensis, et rogatu Heidenrici

t) Dipl. apud Schwarzium p. 1181.
u) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. V. p. 117.
x) Dipl. apud Schwarzium 1075.

Praepositi Altenburgensis, omnia illius monasterii priuilegia transsumi iussit. [y]) Eodem anno eidem Ecclesiae vnum talentum in moneta Altenburgensi contulit. [z]) Idem Albertus adhuc memoratur a. 1291. in litteris Theoderici fratris, de quibus inferius. Denique is Albertus et filius Henricus laudato saepius monasterio omnem decimationem et censum quocunque nomine nuncupatum, confirmarunt, eam partem montis, quae ad Henricum Stangonem pertinebat, contulerunt: Iidem duo talenta nummorum in moneta Altenburg, duos mansos, tres agros et quartale in Rotyn contulerunt. [a]) Mortuus est ante annum 1299. id quod ex diplomate inferius producendo patebit.

§. 10.

THEODERICVS II.

Alberti II. filius. Iam a 1282. memoratur, sed nihil de eo notatu dignum additur. [b]) A. 1283. *Theodericus* praefectus de Aldenberc dictus *Schuliz* testis fuit in diplomate, quod infra occurrit. A. 1284. 5. Kal. April. Reinhardus Pugil, ciuis Dresdensis, villam *Greysendorf*, quam a Theoderico nostro tenuit, eidem, hic vero Henrico Illustri, Marchioni resignauit, qui proprietatem illius in monasterium Cellense transtulit. [c]) A. 1288. XI. Kl. Martii testis fuit in diplomate Theoderici Iunioris, siue Titzmanni, Landgrauii.

y) Dipl. apud Liebium p. 40.
z) Schlegelius de numis Gothanis p. 8.
a) Dipl. apud Schwarzium p. 1182. 1183.
b) Liebius p. 19. Koenigs Adels-Historie II. p. 340.
c) Griebnerus Progr. de titulo Comitis Palat. in literis Henrici Illustris p. 31.

grauii. Idem *Szulis* burchgrauius de Aldenburch testis est in alio, quod Fridericus Admorsus dedit a. 129 . Anno sequenti XI. Kal. Martii Theodericus septem mansos in inferiori villa Lyddelow et in villa Seluwizc sitos, in remedium animae suae et coniugis, nec non fratris *Alberti*, et filii eius *Henrici* defunctorum, monasterio modo dicto tradidit, confirmante id ipsum Friderico II. Imperatore, cuius aurea bulla a Buchensibus in placito prouinciali Altenburgensi exhibita fuerat. Ratio vero huius donationis fuit, quia *Albertus* eiusque filius *Henricus* praefato monasterio damnum intulerant, quod ad ducentas marcas computatum erat. [d]) Eadem res repetitur in aliis litteris Theoderici de Lyznic, qui illos mansos beneficio Burggrauiorum Altenburgensium possederat, sed ita, vt iam addantur alii mansi, quos hic ab Imperio in feudo habuit. [e]) A. 1295. testis fuit in litteris Henrici Comitis Orlamundani monasterio Heusdorffensi concessis. [f]) 1296. die festo Annunciationis Mariae, idem monasterio sanctimonialium in Franckenhausen, pro remedio animarum Alberti patris, et Alberti fratris, tres marcas argenti in *Arnoldisdorf*, post resignationem *Conradi de Weisbach*, concessit. A. 1299. in fauorem eiusdem monasterii Buchensis literas dedit, quibus testatur, villam *Nuenhain*, ab *Alberto* fratre, eiusque filio Henrico possessam, et ab Imperio iure feudali recognitam, ab Henrico autem *Conrado* militi de *Couphungen*, in compensationem debitorum traditam fuisse. In inscriptione se quoque Domi-

d) e) Dipl. apud Schwarzium p. 1078. 1039.

f) Dipl. in Thuringia sacra p. 367.

Dominum castri *Rochsberc* appellauit. g) Tandem a. 1301. litteres prolixas dedit monasterio Altenburgensi, in quo maiorum suorum erga illud merita recenset, quae singula suis locis iam supra monuimus. Illud diploma nobis ad Genealogiam Burggrauiorum contexendam maximo fuit vsui. Confirmat autem Theodericus omnia, quae maiores eius huic monasterio donauerant; ipse vero sequentia addidit, vnum mansum et dimidium in *Rotyn*, quos *Ludouicus et Conradus Hircus*; et vnum hortum in *Pordize*, quem *Hermannus de Cygelheim*, et postea *Henricus* monetarius in *Aldenburg* a se, in feudo tenuerunt. h) Confirmant hoc ipsum negotium duo filii eius *Albertus* dictus de *Rochsberc*, et *Theodericus*.

§. 11.

HENRICVS IV.

Alberti III. filius. Mentio eius fit a. 1280. i) A. 1282. litteras patris sui a. 1275. datas ratas habuit et confirmauit. k) A. 1283. quatuor mansos in villa *Glumin*, quos Theodericus de Lyznik titulo feudali ab ipso habuerat, *Theoderico* iuniori Landgrauio, iudici terrae Plisnensis, in fauorem monasterii *Buchensis* resignauit. A. 1288. *Heinricus* praefectus in *Cinnenberch* testis fuit in diplomate Buchensi. Eodem anno molendinum in prato ad villam Lodlam situm fratribus domus Teutonicae dono concessit, vt testantur litterae d. 18. Febr. Altenburgi datae, quas vidit

P. M.

g) Dipl. in Praetermissis de Conr. Kauffungio §. 6.
h) Dipl. apud Schwarzium p. 1180.
i) Liebius l. c. p. 19.
k) Dipl. apud Schwarzium p. 1074.

P. M. Sagittarius. [l]) Idem addit, Henricum illum se Ronneburgi Dominum appellasse, in qua re ipse falsus fuit, et ductus scripturae veteris non satis adsecutus est. Scriptum enim fuit *Cinnenberg*. Nam Ronneburgum, quod ex historia illius vrbis a Loebero edita, constat, non Burggrauiis sed Aduocatis Widensibus paruit. A. 1289. tanquam praefectus Landgrauii testis fuit in Dipl. Dobrilucensi: [m]) A. 1290. in dipl. Altenburgensi. [n]) Mors eius incidit in a. 1291. vel sequentem, quia diplomata variant. In literis a. 1291. postridie Philippi et Iacobi datis iam defunctus traditur. Et tamen extant aliae a. 1292. Indict. V. in vigilia et die Aegidii datae, in quibus Theodericus et Henricus fratres, Alberti filii, monasterio Buchensi septem mansos in inferiori *Lyddelovv et Seluvviz* tradiderunt, id quod factum fuisse dicitur in castris apud arcem Schellenberg, quam Fridericus Landgrauius obsederat. [o]) Si his litteris fides habenda, Theodericus maior natu fuit, Henricus minor. Sed vereor, ne illae a monachis interpolatae aut deprauatae sint, quia ille, qui a. 1291. bis defunctus esse dicitur, anno sequenti superesse non potuit.

§. 12.

THEODERICVS III.

Alberti III. filius. Huius semel tantum mentionem iniectam inueni, et quidem in litteris, de quibus modo egimus.

Porro

l) P. M. Sagittarius Progr. de Altenburgo p. 7.
m) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. I. p. 151.
n) Liebius l. c. p. 19.
o) Dipl. apud Schwarzium p. 1081.

Porro hic Theodericus et Henricus adhuc vnum vel plures fratres habuerunt, id quod docet diploma a. 1291. vbi Henrico *fratres* adſcribuntur. p) Nomina vero et geſta illorum ſunt obſcura.

§. 13.

ALBERTVS IV.

Theoderici II. filius. A. 1303. litteris datis teſtatur, ſe vna cum patre *Theoderico*, et *Henrico* patruo, (dudum igitur ante id factum oportuit) Eccleſiae S. Mariae in Altenburg, vnum feudum maiori Luben adiacens, quod *Sifridus de Steinbach* colit, contuliſſe. q) 1304. 4. Cal. Iunii, annonam in *Budowel*, quae vulgo *Burgkorn* appellatur, monaſterio Poſauienſi donauit. r) Eodem anno, die feſto Iacobi Apoſtoli, teſtis fuit in litteris *Henrici de Schellenberc* Capitanei ac Iudicis prouincialis in terra Pliſnenſi ab Alberto Imp. conſtituti, cum is villam *Tepil* a Conrado ſiue *Tunzoldo* de *Couphungen* emtam monaſterio *Buchenſi* tribueret. Eodem tamen anno, ſed ſine mentione diei, adſunt aliae litterae Alberonis Burggrauii Leiſnicenſis, quae idem confirmant, et addunt, illum *de Caſtel* tunc fuiſſe Iudicem terrae Pliſnenſis. In his poſterioribus autem litteris Albertus noſter *Alberonis Leiſnicenſis auunculus* appellatur. A. 1305. feſto Andreae, Albertus piſcationem in *Thepil*, quam *Hermannus de Stupitz* ab ipſo beneficii loco habuit, et nauigium germ. *die Faehre*, monaſterio Buchenſi appropriauit. A. 1306. teſtis fuit, quum Fridericus de Schonen-

p) Dipl. apud Schwarzium p. 1080.
q) Dipl. in Koenigs Adels-Hiſtorie II. p. 340. 341.
r) Dipl. apud Paul. Langium Chron. Citic. p. 822. Leuckfeld vom Kl. Poſau. p. 33.

Schonenburg foedus iniret cum Altenburgo, Cygnea et Chemnitio, et sigillum quoque confirmationis caussa adiecit[s]) A. 1317. in comitatu Friderici Landgrauii, Gothae testis fuit in litteris Reinhardsbornensibus. [t]) A. 1319. vna cum aliis transactionem inter Fridericum Admorsum et Witegonem Episcopum Misnensem, propter venditionem ciuitatis Dresdensis initam, conclusit. [u]) Annis sequentibus in comitatu huius Friderici eiusque filii Friderici Seueri permansit, sic ut a. 1322. in litteris monasterii Grünhainensis, a. 1323. Ilmensis, [x]) a. 1325. Isenacensis, [y]) Buchensis et Nimicensis, et literis Friderici Admorsi[z]) inter testes inueniatur. Post illa tempora obiit, sed incertum quo anno. A. vero 1333. Otto Burgrauius Leisnicensis, pro remedio suorum, et Alberti quondam Burggrauii de Aldinburg, soceri sui, villam desertam *Monokdorf* monasterio *Dobelinensi* tradidit. [a]) Vxor illius fuit *Swinka*, [b]) quod nomen originem Bohemicam prodit. Schwarzius ex gente Cutheniorum de Geita oriundam fuisse auguratur, ratione non addita, nisi quod forte nomen illi familiae consuetum fuit.

§. 14.

s) Dipl. in der Schoenburgischen vorläuffigen Gegen-Anzeige Beyl. A. 3.
t) Dipl. apud Schannat Vindem. I. p. 132.
u) Dipl. apud Tenzelium Vita Friderici Admorsi p. 975.
x) Dipl. in Thuringia sacra p. 572.
y) Dipl. apud Wern. Hackium de comitibus Templimontanis p. 343. 344.
z) Sagittarii Progr. de Altenburgo p. 7.
a) Excerpta dipl. apud. Schwarzium p. 1107.
b) Dipl. apud. Eundem p. 1054.

§. 14.

THEODERICVS IV.

Theoderici II. filius. Eius mentio ſemel tantum fit in litteris anni 1283. vbi vna cum patruo Henrico transegit inter monaſterium Buchenſe et Kauffungios. Prior dicitur de *Rochsperc*, alter de *Cinninberc*, vterque Burgrauius Altenburgenſis. c)

§. 15.

ELISABETHA.

Alberti IV. filia, nupſit Ottoni Burggrauio Leiſnicenſi, et praefecturam Rochsberg dotis nomine ad Leiſnicenſes transtulit, vnde in Excerptis diplomatis Altenburgenſis Praefectiſſa de *Rochsberc* dicitur. d)

§. 16.

THEODERICVS V.

Fuit primo Marſchalcus, deinde Magiſter Ordinis Boruſſici. Sunt, qui eundem Comitibus Oldenburgenſibus vindicare voluerunt, ad quos pertinet ipſe Hartknochius. Is autem ex Hennebergero ſuo rectiora edoceri poterat, vtpote qui expreſſe illum Burggrauium Altenburgenſem dicit, et roſam in inſignibus illius ponit. Recte quidem: nam non ſolum Dlugloſſus eum ſemper *Theodericum de Aldemberg* vocat, ſed et ipſe in diplomatibus paullo poſt producendis *Burggrauii Altenburgenſis* nomine inſignitur. Poſtquam ordini Boruſſico nomen dedit, primum a. 1325. Commendator Ragnitenſis, a. 1326. Bartenſis

c) Dipl. in Praetermiſſis de Conr. Kauffungio §. 3.

d) Dipl. apud Schwarzium p. 1048. 1054. 1085. eiusque annot. p. 900. 1085.

ſis fuit, poſt Marſchalci dignitatem nactus eſt, qua primum anno 1331. ornatus memoratur. [e]) Dlugoſſus vel eius deſcriptor memoria lapſus eſt, quando ipſum a. 1307. *Magiſtrum Pruſſiae* vocat, quem tamen anno ſequenti recte Marſchalcum nominauit? [f]) et a. 1335. ab hoc gradu Marſchalci, ad dignitatem Magiſtri euectum eſſe ſcribit. [g]) Et ſane iam in antiquis Dlugoſſi codicibus hic lapſus deprehenditur, quia Cromerus illum ſecure ſecutus eſt. [h]) Videor mihi originem huius erroris deprehendiſſe in litteris Ludouici Imperatoris Romani, a. 1337. datis, in quibus Theoderico noſtro Burggrauio de Aldenburg, Magiſtro generali Boruſſiae, concedit, vt caſtrum aliquod in Lithuania ſitum, quod Henricus Bauariae Dux Lithuanis extorſerat, *Bauariae* nomine diceretur. [i]) Scriptores Polonici eam rem ad a. 1307. referunt, quo tempore Ludouicus ad Imperatoriam dignitatem nondum peruenerat. Malim ergo credere, hanc rem aliquot annis poſt geſtam, et fortaſſe folium aliquod ex ſchedis Dlugoſſi excidiſſe, quod deinde loco alieno inſertum fuit. Quae ab ipſo in Boruſſia geſta ſunt, tangere nolumus, quia ad hiſtoriam noſtram parum conducunt, et apud Scriptores Polonicos et Boruſſicos facili negotio euolui poſſunt. Viuere deſiit a. 1341. die 15. Iunii. [k])

§. 17.

e) Schützius Chron. Boruſſ. II. p. 60. a. 61. a. 65. a. ſ.
f) Dlugloſſus Hiſt. Polon. IX. p. 923-925.
g) Ibid. p. 1036. Schützius p. 67. b.
h) Cromerus Hiſt. Polon. IV. 13.
i) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. I. p. 338. et in Actis Boruſſicis III. p. 551.
k) Dlugoſſus IX. p. 1061.

§. 17.

ALBERTVS V.

Senior a. 1338. monasterio *Sorntzk* vnam marcam contulit. [l]) Plura non inueni.

THEODERICVS VI.

A. 1351. Conuentus Sanctimonialium in *Ober-Wymar*, monialibus in Capellendorf vnum mansum in villa *Bötschowe*, a Theoderico Burgrauio de Aldenberg ipsis appropriatum, vendidit. [m]) Possunt haec ad aliquem ex Theodericis superioribus referri, quia vero annus illius appropriationis nondum notus est, nolui certi quidquam adfirmare. Interim alius adest Theodericus, qui *sexti* nomine veniet. Nimirum a. 1392. in Vinculis Petri Theodericus Burggrauius *Aldinbergensis*, Friderico, Wilhelmo et Georgio, Landgrauiis Thuringiae et Marchionibus Missniae, arcem suam Altenburgensem cum omnibus ad illam pertinentibus, quemadmodum omnia ab iisdem beneficii loco possederat, pro mille quingentis sexagenis grossorum Fribergensium vendidit. Ex quibus quingentas parata pecunia exhibitas accepit, pro reliquis sibi vitalitium comparauit. Eodem die Landgrauii laudati promittunt, se vitalitium illud Burggrauio diligenter exhibituros. Iidem eodem die promiserunt, se post annum exactum, eundem Burggrauium rursus in arcem Altenburgensem recepturos, et censum vitalitii per Officialem accurate soluturos. Porro si contingat, vt ipsi ex *Anna* coniuge

l) Excerpta dipl. apud Schwarzium p. 1107.
m) Dipl. apud Hornium in Vita Friderici Bellicosi p. 693. seqq.

iuge filius nascatur, promittunt, se ipsi arcem pro summa praedicta reddituros: si autem filia, se ipsi de rebus pro conditione ipsius necessariis luculenter prospecturos. Ex illo autem tempore, quum monumenta historiarum de his Burggrauiis nihil amplius proferant, videtur hic vltimus suae gentis fuisse.

§. 18.

Addenda superioribus.

Ad §. 13. Ludouicus Imp. a. 1324. munus Burggrauii cum turre, quae a pallio nomen habet, (*Mantel-Thurm*) beneficii loco concessit, sed cui illud factum sit, Excerpta eius diplomatis non docent. [n]) Auguror tamen ex nexu totius Historiae, Landgrauiis Thuringiae illud contigisse.

ad §. 16. Anno, quo mortuus est hic Theodericus, diploma edidit, in quo profitetur, litem inter ciuitates Elbingam et Gedanum de pecunia, quae *Pfalgeld* vulgo dicitur, fuisse sopitam. [o])

ad §. 17. A. 1329. Ludouicum Bauarum, Imp. genero suo Friderico Graui Burggrauiatum beneficii loco dedisse narrat Liebius, [p]) ad diploma eius prouocans, quod in libro Sagittarii MS. de summo Magistratu vrbis Altenburgensis legerat. Vtinam illud edidisset: nam res magnam habet difficultatem. Auguror illud diploma esse, cuius infra §. 23. mentionem iniicio.

n) Hornius in Vita Friderici Bellicosi p. 281.
o) Dipl. apud Schützium hist Boruss. II. p. 92. b. et Io. du Mont Corps diplom. tom. I. part. 2. p. 202.
p) *in der Nachricht zu Henrici Illustris Historie*, p. 39.

Sectio II.

Notitia pragmatica Burggrauiorum Altenburgensium.

§. 19.

Multos credo fuisse, qui Notitiam historicam Burggrauiorum nostrorum, sectione superiore prolatam, exilem nimis et macram iudicabunt. Sed tales fere sunt, qui in arte historica parum sunt versati. Vt igitur illis ostendam, quomodo in talibus versari soleam, vtque simul iuuentus harum rerum cupida discat, quam multa ex narrationibus historicorum et verbis diplomatum exsculpi queant, quae vulgo negliguntur, specimen conatuum meorum historicorum dare iam quidem constitui.

§. 20.

Ex quanam familia oriundi fuerint illi Burggrauii.

Origines dynastarum, quorum plures mediis temporibus terrae Saxonicae habuerunt, inuentu sunt admodum difficiles, idque ideo, quia laudatores virtutum et beneficiorum suorum nullos inuenerunt. Monasteria equidem largiter ab iisdem dotata fuerunt, sed ventres pigri memoriam euergetarum suorum parum nobis conseruarunt. Burggrauii nostri Altenburgenses eadem obscuritate laborant. Adest equidem a. 1213. *Henricus de Wydach*, frater Alberti Burggrauii, §. 19. sed vnde nomen, id in obscuro adhuc versatur. Patrui Alberti II. §. 6. *Conradus de Froourc* et *Henricus de Flugellesberc* vocantur, vnde simul constabit, Henricum illum de Wydach et de Flugellesberch vnum eundemque hominem

minem fuiſſe. Conſtabit quoque exinde, fratres et agnatos Burggrauiorum noſtrorum illo tempore nondum fixum aliquod familiae cognomen habuiſſe, ſed prout ſedem in praediis ſuis mutauerant, cognomen quoque ſimul immutauiſſe. *Froburgum* oppidum ad Wiram fluuium hodieque ſupereſt, et olim dynaſtas ſuos habuit, quorum vnus ſec. XIV. Marſchalci dignitatem apud Marchiones Miſnenſes obtinuit; certe illo titulo vſus eſt, dum ſe a. 1335. *Henricum Marſchalcum de Froburg* ſubſcripſit. [q]) A. 1368. Henricus et Witze (legendum *Vtze*, quod tunc denotabat *Vlricum*) Marſchalci de Froburg, Franciſco Schwenckenſtein et Petro Arnoldo villam inferiorem Franckenhain vendiderunt. [r]) Caſtrum illud his temporibus non omnino nullius momenti fuiſſe, vel inde conſtat, quod a. 1229. Heinricus de Gnannenſtein et frater eius Conradus *Caſtrenſes in Vroburg* fuerunt, [s]) hoc eſt, eiusmodi nobiles, quibus cuſtodia caſtri fuit concredita, quique propter hoc officii genus feudum caſtrenſe meruerunt. Loquor autem haec ex conſuetudine terrarum noſtrarum et illorum temporum. Notum enim alias eſt, multam eſſe de feudis caſtrenſibus diſputationem, quae dirimi non poterit, niſi tempora et locos bene diſtinguas. Fuerunt etiam alii Domini et Comites de Froburg in Sueuia, qui in literis Imperatorum Sueuicorum saepius occurrunt, ſed cum noſtris minime ſunt confundendi.

q) Dipl. *in der Ober-Sæchſiſchen Nachleſe*, II. p. 295.
r) Anon. *Hiſtoriſche Nachricht von Chemnitz* p. 17.
s) Dipl. apud Schwarzium Mantiſſa. p. 1072.

Flügelsberga vbi ſita olim fuerit, fateor me ignorare. Habemus autem a. 1250. Albertum de Flogelsberg teſtem in diplomate Grünhainenſi, t) Henricum item, qui a. 1308. monaſterio Altenburgenſi bona quaedam in *Münſau* contulit. u) Alius quidam Albertus in fraternitate monaſterii Chemnicenſis fuit. x)

Theodericus II. cognomen *Schuliz* et *Szulis* habuit, quod §. 10. adfuit. Credo idem obtinuiſſe a praedio *Scholiz*, quod praefecturae Altenburgenſi ſubiectum, et non procul ab vrbe laudata ſitum eſſe aiunt. y) Sed ego illam in Tabula Geographica Ducatus Altenburgenſis a Petro Schenckio edita inuenire non potui.

Ex his autem, quae protulimus, nihil certi exſculpere licuit, ex quanam familia hi Burggrauii originem duxerint. Cognatio vero eorundem cum Dominis de Froburg et Flugelsberg ſatis clare oſtenſa eſt. Sequitur ſchema genealogicum.

Henricus

t) Exc. dipl. apud Hornium *in der Hand-Bibliothec* p. 309. vbi tamen vitio deſcriptoris perperam legitur *Wülckelsberg*: aliud enim exemplar, quod oculis vſurpaui, expreſſe legit *Flogelsberg*.

u) Exc dipl. apud Koenigium *in der Adels-Hiſtorie* II. p. 341.

x) Necrologium Chemnicenſe tom. II. Menken. p. 158.

y) *Goldſchadt Nachrichten von Marckflecken* etc. p. 467.

Henricus I. 1172. §. 2.

Henricus de Wydach et Froburg 1213. §. 19. 21.	Albertus I. 1212. 28. §. 4.	Henricus de Flugelsberg. §. 6.

Albertus II 1236-69. §. 6.

Albertus III. 1275-91. § 9.	Theodericus II. 1282-1301. §. 10

Linea Cinnenbergensis.		*Linea Rochsburgensis.*	
Henricus IV. a. 1280-91. §. 11.	Theodericus III. 1292. §. 12.	Albertus IV. 1303-25. §. 13.	Theodericus IV. 1283. §. 14.
I. Filius Anonymus. Schwarz. p. 1080.		I Elisabetha coni. Ottonis Bgr. Leisn. §. 15.	

§. 21.

Vrbes, castra, et praedia Burggrauiorum Altenburgensium.

Circumspiciamus nunc, quaenam loca hi Burggrauii possederint, quae quidem ordine alphabetico, adiecta breui eorum notitia, enumerabimus.

1. *Altenburgum*, ibi arcem possederunt, primo quidem beneficio Imperatorum, vt postea audiemus, deinde Marchionum Misniae et Landgrauiorum Thuringiae, §. 17. In moneta quoque ibidem suos reditus habuisse §. 10. docet.

2. *Arnoldisdorf*, ibi Conradus de Weisbach a Burggrauio quaedam bona nexu clientelari possedit, quae a. 1296. ad monasterium Francohusanum non procul a Crimmitzschauia situm peruenerunt. §. 10.

 Hodie

Hodie vocant *Arnsdorf*, et in ſuperiorem et inferiorem diuidunt.

3. *Bortſchowe*, praedium prope villam *Mohnſtab*, quod Burggrauii coenobio in Ober-Wymar donauerant. §. 17.

4. *Budowil*, ibi habuerunt quosdam cenſus frumentorum ad Praefecturam arcis Altenburgenſis, quae a. 1304. monaſterio Poſaugienſi conceſſerunt. §. 13. Duplex eſt hodie villa huius nominis *Pudebils*, altera prope Meuſelwicium arcem Seckendorffiorum, altera non procul a Ciza in diſtrictu Droeſigienſi. Vtra harum intelligatur, non poſſumus pronunciare.

5. *Cinnenberch*, vnde nomen lineae Cinnenbergenſi Burggrauiorum noſtrorum, cuius ſitus mihi adhuc eſt incognitus.

6. *Glumin*, ibi habuerunt quatuor manſos feudales a. 1283. §. 11.

7. *Gnaswitz*, iam ſec. XIII. fuit in poteſtate Burggrauiorum. §. 4. 6. Hodie dicitur *Gnatſchitz*, haud procul ab vrbe Smolna ſeptentrionem verſus ſita.

8. *Gryfendorf*, totam villam Reinhardus Pugil, ciuis Dresdenſis, a Burggrauio beneficii loco tenuit a. 1284. §. 10. Villa huius nominis adeſt, haud procul ab vrbe Haenicha.

9. *Liddelow inferior*, bis occurrit a. 1291. §. 10. et 1292. §. 11. Hodie *Vnter-Ledel* non procul Altenburgo. Fortaſſe eadem eſt *Lodla* a. 1288. §. 11. quia etiam ſcribunt *Vnder-Loedla*.

10. *Maius Luben*, hodie *Ober-Leupen*, prope Altenburgum verſus meridiem, a. 1303. §. 13.

11. *Lop-*

11. *Lopschitz*, ciuitas a. 1229. §. 4. et a. 1269. §. 6. Forte est *Lobschwitz* vicus et arx Einsideliorum in districtu Bornensi.

12. *Lubewitz*, bis occurrit §. 4. 6. sed situm hodiernum determinare nequeo.

13. *Pordice*, ibi a. 1301. tantum vnum hortum habuisse leguntur. §. 10.

14. *Rochsberg*, castrum, a quo linea altera Burggrauiorum Altenburgensium nomen sortita est, postea ad Burggrauios Leisnicenses transiit, §. 10. 15. Hodie est Comitum Schoenburgicorum, ad Muldam situm.

15. *Rotin*, hodie *Roethe*, in districtu Altenburgensi, §. 9. 10.

16. *Seluwitz*, a. 1291. et 1292. §. 10. 11. Fortasse est Schlepitz.

17. Arcem *Smolnensem* quondam Burggrauiorum Altenburgensium fuisse, testatur Io. Lindnerus, monachus Pirnensis. [z])

18. *Stenewitze*, hodie *Steinitz*, proxime ad Altenburgum a. 1229. §. 4.

Haec sunt nomina praediorum et locorum, quae Burggrauiis nostris subfuerunt, quantum scilicet notitiae documenta in publicum edita subministrant. Plura fortasse omissa sunt, ab illis supplenda, quibus datum est inedita in sacris archiuis monumenta peruoluere.

§. 22.

Domini Burggrauiorum Altenburgensium.

Quum igitur Burggrauii varia possederint, idque non iure proprio, dispiciendum nunc est, quorum beneficio, vel in quorum clientela constituti ad illa potuerint peruenire.

 1. Pri-

z) Ober-Sæchsische Nachlese II. p. 163. 164.

1. Primum hic locum tenet *Imperator Romanus.* Nam ab hoc constituti sunt Praefecti arcis Altenburgensis, vt illud ab insultu gentium vicinarum defenderent. Ab hoc quoque praedia sua nexu clientelari obtinuerunt, vnde vitae necessaria caperent. Inde si quid in aliorum vsus erogare potuerunt, illud in manus Imperatoris resignare debebant, §. 2. 10. quo loco posteriore geminum huius rei exemplum habes. Inde Albertus I. a. 1212. sponsor fuit pro Imperatore, §. 4. et quia pecunias in obsequio Imperatoris expendit, vrbe aliqua donatus est: *ibid.* Nemo autem miretur, quod Imperatori Romano *Dominium*, vt hodie dicimus, *directum* terrae Altenburgensis adscribimus. Notum enim est, Henricum Aucupem vniuersam Soraborum regionem inter Albim et Salam bello acquisiuisse. Postquam vero successu temporis Marchiones Misnenses terras suas acquisiuerunt, Altenburgum, Cygnea et Chemnitium ciuitates imperiales fuerunt, donec ab ipso Imperatore ad Marchiones laudatos peruenerunt.

2. Sequuntur *Marchiones Misnenses*, quibus Burggrauii nostri iure clientari subfuerunt, idque duplici ratione. Primis temporibus ratione quorundam praediorum ad Burggrauiatum minime spectantium. Inde praesentes adfuerunt vna cum aliis ordinibus in placito prouinciali (hodie *comitia prouincialia* vocamus) Colmicensi a. 1250. §. 3. et Delicensi a. 1222. §. 4.

Postea vero alio quoque titulo Marchionibus Misnensibus subiecti fuerunt, posteaquam scilicet Imperator illis dominium terrae Plisnensis concessit. Quae res cum vulgo nondum satis nota sit, prout omnis

omnis historia terrae Plisnensis modo dictae in obscuro adhuc latet, liceat eam hac occasione simul explicare. [a]) Nimirum circa a. 1254. Albertus, Henrici Illustris filius, Margaretam, Friderici II. Imp. filiam duxit, qui ipsi dotis loco decies mille marcas argenti promisit, et vsque ad solutionem illius summae terram Plisnensem pignori concessit. Quam ob rem Henricus Marchio Misniae, non solum titulo *Domini terrae Plisnensis* vsus esse, sed et ipsum eius regimen subiisse deprehenditur. [b]) Titulo autem illo, vt et hoc addam, semel tantum atque iterum vsus est, et quia fortasse Imperatori id minime acceptum esse animaduertit, literis sequentibus eodem abstinuit. Albertus modo dictus, quem vulgo *Degenerem* vocant, circa a. 1290. omnes terras suas, et inter has Plisnensem quoque, Adolpho Nassouio Imperatori vendidit, idque in fraudem filiorum, quibus admodum erat iniquus. Imperator terras occupauit, et iurisdictionem earundem per Iudices prouinciales a se constitutos obseruari iussit. [c]) Rupertus, filius Imperatoris modo dicti, quum filiam Wenceslai, Bohemiae Regis in matrimonium duxisset, et socer ipsi decem marcarum millia dotis nomine promissa, ante tempus soluisset, Imperator ipsis totam terram Plisnensem, nomi-

a) Quod quidem b. Auctor, postea, singulari scripto, de historia terrae Plisnensis, in hac nostra collectione non omisso, pluribus et accuratius praestitit. *Edit.*

b) Dipl apud Hornium in Henrico Illustri p. 306. *Cum per gloriosum Imp. Fridericum - - adepti simus dominium Plisnensis terræ, ipsam terram gubernare, et quoslibet in ea degentes, secundum quod nobis iniunctum est, etiam suo iure volumus conseruare.*

c) Dipl. apud Schwarzium Mantissa p. 1039. 1080.

nominatim Altenburgum, Chemnicium et Zwickauiam, cum omnibus vasallis, hominibus etc. hypothecauit et inpignorauit, vt verba diplomatis habent, vsque ad tempus nuptiarum celebratarum. Literae datae sunt V. Idus Maii a. 1292. d) Testatur vero historia patria, filios Alberti Degeneris iura sua in terram Plisnensem fortiter defendisse, sic, vt neque Imperator, neque Rex Bohemiae possessor aut dominus illius factus sit. Post mortem Adolphi Imperatoris, Albertus successor illius a Wenceslao Bohemiae Rege quinquaginta millia marcarum mutua sumebat, eique pignoris loco vna cum aliis terram quoque Plisnensem obligauit. e) Illustris Vir, Io. Petrus Ludouicus, sed qui Serenissimae domui Saxonicae fere semper iniquus est, in annotatione diplomati huic subiecta statuit, terram Plisnensem illo tempore nulli alii Principi, sed tantum Imperatori Romano, subiectam fuisse. Verum hoc est contra filum totius historiae. Imperator contra omne ius terram Plisnensem sibi asserere cupiebat. Filii Alberti Degeneris non contradicebant solum, sed etiam ius suum armis vindicabant, vnde copiae Imperatoris semel atque iterum profligatae. Atqui vero omnia iura naturalia pariter et ciuilia neminem possessione rerum suarum excludunt, qui possessori iniusto et verbis et re ipsa contradicit. Quidam ex nobilibus Misnensibus illo tempore Wenceslaum Bohemiae Regem agnoscebant, qui etiam a. 1298. omne ipsis praesidium promittit, et titulo *Sacri Romani Imperii per terras Misnensem, Orienta-*

d) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. V. p. 435. Lünigium Codice Germaniae diplom. I. p 971.
e) Dipl. apud Eosdem p. 442. et 975.

Orientalem et Plisnensem Vicarii generalis vtitur. f) Sed mera haec erat vsurpatio, non autem legitima possessio. Post diuturna vero dissidia anno 1308. quum interregnum esset, tres illae ciuitates Altenburgum, Chemnitium et Cygnea se tutelae ac defensioni Friderici Admorsi commiserunt, ea tamen addita conditione, vt electo nouo Imperatori rursum subiicerentur. g) Agnouerunt illae ciuitates legitimum dominum, eique se libenter subiecerunt, quum tamen controuersia nondum prorsus sedata esset, fecerunt, quantum potuerunt. Cum Caesare recens creato statim conuenit Friderico Admorso, itaque a. 1310. Thuringiam et Misniam ipsi per quosdam delegatos tradi iubebat, h) quae tamen iure haereditario ad ipsum spectabat. Anno sequenti terra Plisnensis eidem ad decennium restituta est, sic, vt in reluitione ipsi duo millia marcarum soluenda essent. i) Plura igitur iam concessa sunt, quam antea. Et quamuis Fridericus restitutionem simplicem vrgere potuisset, annis tamen et diuturnitate belli grauatus maluit aliquid, quam nihil, recipere. Imo iam a. 1307. titulo *Domini terrae Plisnensis* vsus est. k) Constat autem ex his, Henricum Lucelburgicum Imp. nostro satis aequum fuisse. Successor eius, Ludouicus Bauarus, alia omnia sentiebat.

f) Dipl. apud Gribnerum Progr. de titulo Vicarii generalis per terras Misnensem, Orient. et Plisnensem, Wenceslao tributo p. 7.

g) h) Dipl. apud Tenzelium Vita Friderici Admorsi p. 954. 956.

i) l. c. p. 960.

k) Dipl. apud Eund. p. 961. et Moerbitium Chron. Doebel. p. 157.

tiebat. Nam a. 1316. Aduocatos Plauienses et Geranos Iudices terrae Plisnensis constituit, [l]) quae res docet, ipsum vestigia non proximi decessoris, sed superiorum, legisse. Tandem vero a. 1324. Ludouicus Imperator titulo maxime oneroso terram Plisnensem Friderico eiusque posteritati restituit, pro tredecim scilicet millibus marcarum argenti, quae ille maximam partem in vsum Imperatoris et Imperii impenderat: [m]) id quod ipsum in alio diplomate a. 1329. repetitur. [n]) Quum vero de nulla vnquam reluitione cogitatum fuerit, terrae Plisnenses Marchionibus Misnensibus et postea domui Saxonicae sine cuiusquam contradictione perpetuae manserunt.

Hoc igitur nomine Marchiones Misnenses Domini terrae Pilsnensis facti sunt, sic vt a. 1275. et sequentibus Albertus Degener, Albertum Burggrauium Iudicem illius terrae constituerit, §. 9. Et a. 1283. quatuor mansi in villa Glumin Theoderico Iuniori, vulgo *Ticemannum* vocamus, a Burggrauio resignandi siue refutandi fuerunt, §. 11. Ipse denique Theodericus VI. a. 1392. profitetur, se arcem et omnia reliqua beneficii loco a Landgrauiis tenere, §. 17.

§. 23.

Vasalli Burggrauiorum Altenburgensium.

Vt Burggrauii munere suo recte fungi possent, neque aliis negotiis vacare cogerentur, Imperatores ipsis quaedam praedia et reditus concesserunt, vnde pro gradus et dignitatis suae conditione viuerent. Eorum

l) Dipl. apud Becklerum in Stemmate Ruthenico p. 265.
m) n) Diplom. apud Tenzelium p. 986. 988.

Eorum quaedam rursus aliis in beneficium, siue vt hodie loquuntur, feudum dederunt, qui ipsis non solum nexu subiectionis essent coniuncti, verum etiam quosdam census tum in pecunia, tum frumento persoluerent. Ex his igitur vasallis sequentes nobis occurrerunt.

1. Hermannus de *Cygelheim*, habuit hortum in Pordize, a. 1301. §. 10.

2. Ludouicus et Conradus *Hircus*, possederunt mansum cum dimidio in Rotyn. ibid.

3. Andreas miles de *Lisavia*, habuit quinque mansos in Stenewize, §. 4.

4. Theodericus de *Liznik*, habuit a. 1283. quatuor mansos in Glumin, §. 11. a. 1290. septem mansos in inferiori Lyddelow et Seluwize. §. 10. Illi Domini de Liznik longe diuersi sunt a Burggrauiis Leisnicensibus, quod Cel. Schwarzius, subsidiis quippe necessariis destitutus, extricare non potuit, ego vero cum bona ipsius venia alio tempore discrimen eorum ostendam. o)

5. Reinhardus *Pugil*, ciuis Dresdensis, villam Gryfendorf a. 1284. §. 10.

6. Sifridus de *Steinbach*, incoluit vnum feudum maiori Luben adiacens, a. 1303. §. 13.

7. Hermannus de *Stupitz*, habuit piscationem in Thepil, a. 1305. §. 13.

8. Con-

o) Prodiit quidem A. 1755. *Versuch einer Historie der abgestorbenen Herren von Liznik*, in *Kreysigs Beytraegen zur Historie der Chur- und Fürstl. Saechs. Lande* P. II. p. 61. sq. quae tamen commentatio, an B. *Schoettgenio* tribuenda sit, affirmare non audemus. *Editor*.

8. Conradus de *Weisbach*, tres marcas argenti in Arnoldisdorf, a. 1296. §. 10.

9. Tandem huc quoque pertinent Castrenses, germanice *Burgmanne*, hoc est, viri nobiles defensionem castri curae habentes, ibique stipendia sua merentes. Hi erant militum gregariorum praefecti, et pro opera sua pecuniam et frumentum nanciscebantur, quod *feudum castrense* vulgo vocant. Tales Altenburgi a. 1315. fuerunt Ludouicus Stango, Henricus de Knewe, Henricus de Studenchen: p) a. 1389. sub Thuringiae Landgrauiis, Albertus de Brandenstein, Heinricus de Wirczeburg, Heinricus de Kossebude, Siuerd Stange, Hencze Stange, Albertus de Gabelencz. q) His debebatur frumentum, siue annona, quae tunc vulgo *Burgkorn*, §. 3. item *Census secundarius* siue *castrensis*, qui in pecunia soluebatur, §. 10.

§. 24.

Insignia.

Burggrauii Altenburgenses insignium loco habuerunt rosam, colore proprio et natiuo in spatio albo. Sic exhibent sigilla vetera, r) quibus alia galeam imponunt cum affixis bacillis nouem, in quorum summitate plumae pauonum conspiciuntur. s) Vidi quoque sigillum, quod solam galeam cum bacillis ostendit.

Illud

p) Dipl. in *Liebens Nachlese zu Heinrici Illustris Historie.* p. 38.

q) Dipl. apud Hornium in Friderico Bellicoso. p. 680.

r) Schwarzius Mantissa. p. 1039.

s) Hoenns *Sæchsische Wapen-und Geschlechts-Vntersuchung* p. 61.

Illud sigillum postea Marchiones Misnenses suis insigniis inseruerunt, quisnam vero primus eodem vsus sit, non constat. Albinus [t]) Albertum Degenerem profert, sed dubia, vt plerumque solet, fide. In tribus enim sigillis, quorum figuras Gudenus et Hahnius exsculptas exhibent, rosa Altenburgensis minime conspicitur. [u]) Neque quisquam posterorum eius rosa Altenburgensi sigillum suum exornauit ante tempora Ernesti, Ducis et Electoris Saxoniae. Nam in illius monumento apud Reyherum, quantum quidem mihi constat, emblemata haec Altenburgensia primum conspiciuntur. Fortasse et in sigillis ipsius exstant, sed nullum illius mihi huc vsque aeri incisum occurrit, quum reliquorum illius maiorum fere omnia publice excusa prostent. Post illa vero tempora Serenissimi Saxoniae Duces illam rosam in sigillis, numis et epitaphiis constanter retinuerunt, quamuis titulo Burggrauiorum Altenburgensium nunquam vsi fuerint, Domini vero terrae Plisnensis titulum dudum omiserint.

Dixi Duces Saxoniae titulo Burggrauiorum Altenburgensium nunquam vsos esse, quod inductio omnium documentorum huc vsque typis impressorum inde ab acquisitione Burggrauiatus ad nostra vsque tempora docet. Miror ergo, qui factum sit, vt in foedere inter Carolum VII. Galliae Regem ac Fridericum II. Electorem, et Wilhelmum, fratres, Duces Saxoniae a. 1441. inito, ipsis post reliquos titulos consuetos, etiam titulus *Burggrauiorum Alden-*

burgen-

t) Albini *Saechsisches Stamm-Buch* p. 228.

u) Gudeni Sylloge diplom. I. p. 319. Hahnii Collect. I. p. 99. 101.

burgenſium tributus ſit. x) Nam illo tempore circa Burggrauiatum Altenburgenſem nihil vel geſtum vel immutatum fuit. Quod ſi quis Magdeburgenſem forte innui dicat, huic illud repono, Electores equidem Saxoniae, lineae Miſnenſis, omnibus iuribus Burggrauiatus Magdeburgici gauiſos eſſe, ante vero tempora Ioannis Friderici Electoris, titulum ſuis non appoſuiſſe. Excuſabimus autem Gallos, vtpote peregrinos, qui harum rerum non ſatis gnari fuerunt.

§. 25.

De dignitate Burggrauii quaedam generatim.

Haec igitur fuere, quae de Burggrauiis Altenburgenſibus ad ductum eorum, quae ſectione priore adfuerunt, proferri poterant. Plura nemo a nobis exigat, quia monumenta typis edita vlterius non pertingunt, ad Archiuorum autem adyta locus non cuiuis conceditur. Superſunt quaedam generalia, quae ad ideam de Burggrauiis noſtris pleniorem ſufficiendam faciant. Paulus Martinus Sagittarius, ad quem ſupra prouocaui, hanc quaeſtionem proponit: *An Burggrauiatus dignitas arci, an vero vrbi Altenburgenſi adhaeſerit?* Ille pro arce pugnat rationibus in medium productis, quae fundamentum non ſatis firmum in hiſtoria medii aeui habent. Vt dinſtincte rem explicemus, ſedes Burggrauii fuit arx ſiue caſtrum: Quum vero illud propter vrbem et reliquam prouinciam tuendam exſtructum fuerit, hinc facile apparet, iurisdictionem Burggrauii non ſolis caſtri finibus eſſe concludendam. Nam vbi templum Cathedrale

x) Dipl. apud Dacherium Spicil. tom. III. p. 765. edit. nouae.

thedrale adfuit, Burggrauius etiam illius Defensor, siue Aduocatus ab Imperatore constitutus est, quale quid de Magdeburgensi et Misnensi valet. Vbi adfuit Collegium eorum, qui de iure solebant respondere, *Scabinatum* vocarunt medio aeuo, Burggrauius simul Praesidis vel Directoris iustitiae munus obiit, id quod de Magdeburgensi et Dohnensi valet. Reliqui Burggrauii non castrum solum defenderunt fidei suae concreditum, sed et vrbis muniendae curam habuerunt, quippe quae olim etiam *burgi* nomine veniebat. y) Neque vrbem solum, sed et integrum aliquem districtum, quum villis quoque Iudices inferiores, quos tunc Slauice *Supanos* vel *Jupanos*, Germanice vero *Scultetos* vocarunt, praeficerent, eorumque curam haberent.

§. 26.

Fabulosa quaedam de his Burggrauiis refutantur.

Antequam toti tractationi nostrae colophonem imponamus, necesse est, vt nugas quorundam scriptorum proletariorum refellamus. Huc pertinent primum, qui arcem Altenburgensem a Claudio Druso exstructam esse tradunt: hi sibilo sunt excipiendi. Neque illi me detinebunt, qui initia eius a Carolo M. et fabulosis Witekindi posteris deducunt. Terrae enim Misnicae neque Carolum, neque progeniem Witekindi vnquam dominos suos habuerunt. Sequuntur alii, qui Comites limitis Sorabici in Thuringia Dominos terrae Plisnensis fecerunt. At illi fuerunt tantum limitis Sorabici Comites, non autem

 ipsius

y) Versio Gothica Matth. IX. 1. *Gah wam in seinai baurg*, h. e. *und kam in seine Stadt.*

ipsius terrae Sorabicae inter Albim et Salam sitae. Primos Burggrauios inde a temporibus Henrici Aucupis iam superius reiecimus. Mirum est, quod Sagittarius p. 5. mirari potuit, cur Albertus Degener titulum potius Domini terrae Plisnensis, quam Burggrauii, vtpote splendidiorem, sibi vindicauerit. Splendidior sane est titulus et possessio totius terrae, quam vnius arcis. Splendidius est, esse Dominum directum, et sub se habere Burggrauios, quam esse Burggrauium.

§. 27.

Haec sunt, quae de Burggrauiis Altenburgensibus conuasare potui, quae tamen, vt mihi quidem videtur, non omnino nullam lucem Historiae patriae mediorum temporum accendunt. Sequentur alia huius generis, si Deus vitam et vires concesserit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

VII.

De Sizzone Comite Keuernburgico eiusque maioribus.

Commentatio I.

§. 1.

Auctores, qui de ipso scripserunt.

Vitam Sizzonis Keuernburgici dum ex historiarum fontibus describere adgredior, nemo obiiciat, actum me agere, quia duumuiros iam habeamus, qui id negotii susceperint. Si quis enim illos inspiciat, fatebitur, illos reuera nihil de Sizzone protulisse.

Alter

Alter enim, *Godofredus Rühlmannus*, Consiliarius et Historicus Schwartzburgicus, Schedion aliquod subitaneum de Sizzone edidit, in quo lemmata capitum et paragraphorum operis futuri exhibentur, probationes autem ex documentis genuinis desiderantur.[a]) Et hic ipse inter causas laboris a se suscepti hanc refert, quia Dissertatio *Paullini* de Sizzone non sufficeret. Diu sollicitus fui, quaenam esset illa Dissertatio, sed postea subiit libellus, quem *Dissertationes historicas de variis monasteriis* inscripsit, vbi loco decimo agit de monasterio Vallis S. Georgii, quod Sizzonem auctorem habuit, sed pauca admodum, neque satis certa, de eodem adspergit. *)

§. 2.

Nomen Sizzonis.

Varia est huius nominis scriptio: occurrit enim *Sisso*, *Zizzo*, *Zisce*, *Sicho*, *Giezo*. Celeri autem pronunciatione decurtatur hoc nomen, prout illis temporibus mos erat, et *Sighardum* exprimit, id quod testimonio Paulli Langii confirmamus. Sunt, qui

 Siffri-

a) Titulus Schediasmatis hic est: *Vorlæuffiger Entwurff* der aus vnd mit aechten Vrkunden vnd Zeugnissen bewaehrten Historie Herrn Sizzens, Grafens in Düringen, als des Ersten, welcher insonderheit in Vrkunden Graf von Schwartzburg genennet wird. Schleitz, 1721. 4. pl $3\frac{1}{2}$.

*) Huc quoque referendum est *Pauli Iouii Chronicon Keuernburgense* cum Diplomatibus XV. Keuernburgensibus editum a ICto Clariss. *Christoph. Frid. Ayrmanno* in Syllog. Anecdotor. omnis aeui Chronicor. Diplomat. etc. Tom. 1. Frf. 1746. 8. p. 169-252. *Editor.*

Siffridum vel *Sigefridum* ſubſtituunt, ſed auctoritate boni cuiusdam ſcriptoris deſtituti.

§. 3.

Parentes illius.

Pater ipſius fuit Guntherus nobilis de Thuringia, h. e. Comes: mater huc vſque nondum eſt cognita. De patre teſtem cito Annaliſtam Saxonem ad a. 1062. qui haec habet: „Otto Marchio habuit vxo„rem nomine Adelam de Brabantia, quae peperit ei „tres filias, Odam, Cunigundam, Adelheidam. Cu„nigunda nupſit Regi Ruzorum, genuitque filiam, „quam nobilis quidam de Thuringia, Guntherus no„mine, accepit, genuitque ex ea Sizzonem Comi„tem. Poſt eius mortem reuerſa in patriam coniun„cta eſt Cononi Comiti de Bichlinge, filio Ducis Ot„tonis de Northeim, genuitque illi quatuor filias: „Quo item defuncto Wipertus ſenior tertius eam de„ſponſauit.„ Eadem iisdem fere verbis repetuntur ad a. 1103. Hic Guntherus iam tum fuit incola Thuringiae, cum Ludouicus Barbatus eo perueniret, quippe qui ab illo praedia nonnulla et villulas ſiluaticas aere ſuo comparauit. b) Is Guntherus in quodam diplomate c) inter viros liberos, hoc eſt, Comites refertur, ab hiſtoricis autem expreſſe Comes Keuernburgicus appellatur. d) Interfuit quoque feſtiuitati

b) Dipl. apud Auctorem de Landgrauiis Thuringiae c. 11. et Tentzelium Suppl. II. ad hiſtoriam Gothanam p. 384.

c) Dipl. ibid. p. 392.

d) Auctor cit. de Landgrauiis l. c. et. p. 353. ed. Eccardi, Alius Anonymus de Landgrauiis, tom. I. Piſtorii p. 957. et p. 340. edit. Eccardi. Anonymi Chron. Thuringiae

ſtiuitati a Ludouico Barbato inſtitutae, quum a. 1042. arcem recens exſtructam Schauenburgam inaugura- ret, et filius ipſius Ludouicus, qui poſtea Deſilientis cognomen accepit, ſacro baptiſmi lauacro tingeretur. [e])

§. 4.

Maiores illius.

Plenam maiorum Sizzonis noſtri ſeriem inuidit nobis vetuſtas, quippe cum tempora, quibus ille vixit, multis adhuc tenebris inuoluta ſint. Matris nomen huc vſque nondum nouimus. Fuit autem filia Regis cuiusdam Ruſſiae, minoris ſcilicet, quales tunc plures erant, qui a Dlugoſſo aliisque ſcriptoribus Polonicis Ducum nomine appellantur, et cum filiabus Principum Germanicorum matrimonium inire ſolebant. Auia Sizzonis, Cunigundis, Ruſſiae Regina, in Germaniam redux primum Cononi Comiti Bichlingenſi, poſtea Wiperto Groicenſi nupſit. [f]) Parentes huius Cunegundis erant Otto, Comes Orlamundanus, qui ſimul Marchio Miſnenſis fuit, [g]) et Adela, Lamberti ſiue Balderici III. Comitis Brabantiae filia. Haec Adela, quae Scriptoribus noſtris admodum nota eſt, [h]) ſupplenda eſt in Genealogia Comitum Brabantinorum, a Butkenio alias ſatis

N 4 ſtudioſe

ringiae et Haſſiae in Selectis Senckenbergii tom. III. p. 320.

e) Spangenbergius Chron. Henneberg. II. 1.

f) Auctor vitae Wiperti cap. IX. §. 1.

g) Oſtendi hoc in der Oberſæchſiſchen Nachleſe VI. p. 234. nec adhuc poenitet.

h) Lambertus Schafnaburgenſis ad a. 1075. p. 225. Appendix Chronici Montis Sereni p. 203. Annales Vetero-Cellenſes p. 86. edit. Struu.

ſtudioſe elaborata: id quod ſic probo. 1. Scriptores noſtri, quos modo citauimus, vocant eam Adelam Comitis de Brabantia, vel etiam de Louene, filiam. 2. Fratres eius fuerunt Heinricus et Reginherus. [i]) 3. Hi autem filii fuerunt Lamberti ſiue Balderici: [k]) ergo et Adela fuit eiusdem filia. Emendanda hinc ſunt Chronica Brabantiae, quae ponunt, Adelam, Ottonis Thuringiae Landgrauii filiam, Heinrici modo dicti coniugem fuiſſe: [l]) id quod per errorem factum eſt.

§. 5.

Res geſtae Sizzonis ſecundum ſeriem annorum.

Prima Sizzonis mentio fit a. C. 1114. quum Henricus V. Imperator monaſterium Cellae Paullinae bonaque illius confirmaret, vbi additur, ſitum illud eſſe *in prouincia quæ dicitur* Duringia, *in Epiſcopatu Maguntinenſi*, *in pago* Lancwizi, *in Comitatu* SIZONIS, *in ſilua quæ dicitur* Louba. [m]) A. 1118. Bertha Comitiſſa, aſſentiente Sizzone Comite, et caeteris eius haeredibus, templum parochiale vrbis Cygneae

i) Annaliſta Saxo a. 1070. „*Ipſa autem Adhela dicebatur nata de Brabantia ex Caſtello, quod dicitur Louania, erantque fratres eius Heinricus Comes et Reginherus.*„ Eadem habent Appendix et Annales modo citati.

k) Butkens Trophées de Brabant liv. 3. p. 83. nam Genealogia, quam Lipſius adfert in Louanio, parum ſibi conſtat.

l) Butkens l. c. 85. 86.

m) Dipl. apud Lyſerum de Lachis Loubae p. 8. et in Scripto quod inſcribitur: *In iure et facto gegründete Gegen Deduction Schwartzburg-Arnſtadt contra Sachſen-Weimar*, Beyl. n. 3.

Cygneae monaſterio Boſaugienſi, cum omnibus reditibus dono dedit, vbi Sizzo primum inter teſtes locum obtinet. [n]) Cognatio cum Bertha Comite talis erat: Adelae Brabantinae coniux alter erat Dedo III. Marchio Luſatiae, cuius filius Henricus ſenior Marchio Miſnenſis, vulgo de Ilburg dictus. Dedonis Marchionis frater erat Thimo, Comes Wettinenſis et Marchio Miſnenſis, eius filii Dedo, Comes Wettinenſis, et Conradus Magnus, Marchio Miſnenſis. Vltimi huius Dedonis coniux erat Bertha filia Wiperti II. Comitis Groicenſis. Totam connexionem exhibet Schema ſequens:

	Adela, Comes Brabantina.		
1. Coni. Otto Comes Orlamundanus	2. Coni. Dedo Marchio Luſatiae.	-- Thimo, Comes *frater* Wettinenſis	
1.	1.		
Cunigunda	HENRICVS ſen. Marchio de Ilburg	Dedo C. Wettin. cuius coniux BERTHA.	CONRADVS MAGNVS.
1.			
N. mater Sizzonis			
1.			
SIZZO Comes			

Probationes Genealogiae Sizzonis iam ſupra §. 3. et 4. adfuerunt, in reliquis prouocamus ad Io. Georgii Eccardi Hiſtoriam Genealogicam Principum Saxoniae ſuperioris, qui hac in parte nobis otium fecit. Errat igitur Io. Lindnerus, [o]) qui eadem haec narrans Berchtam Siſonis Comitis coniugem fuiſſe aſſerit.

n) Dipl. apud Schlegelium de numis Gothanis p. 147. Schwarzium in Mantiſſa ad Albini Geneal. Comitum Leiſnicenſium, Tom. III. Menckenii p. 1009. Schamelium de monaſt. Mauritiano Numburgenſi p. 5.

o) Monachus Pirnenſis p. 1552.

§. 6.

A. 1120. cum Wichmannus Comes, cognatus Reinhardi Antiſtitis Halberſtadenſis, monaſterium Kaltenbornenſe fundaret et dotaret, inter alios Sizzo quoque Comes erat Botelſtedii, vbi haec res peracta eſt. p) Circa a. 1122. filia eius, cuius nomen non additur, nupſit Friderico Palatino ex Sommerſenburgicis, qui vero circa a. 1134. aut ſequentem Magdeburgi monaſterium, ex quo extractus fuerat, denuo ingreſſus eſt. q) Per hanc filiam Sizzo vnus ex atauis Sereniſſimae domus Saxonicae factus eſt, prout haec tabula docebit.

Sizzo Comes
I.
N. Coniux Friderici Comitis Pal. Sax.
I.
Sophia, Coniux Hermanni Landgrauii Thur.
I.
Iutta, Coniux Theoderici Afflicti, March. Miſn.
I.
Henricus Illuſtris.

§. 7.

A. 1133. cum Albertus, Archiepiſcopus Moguntinus, rogante Cunigunde, Comite Beichlingenſi, vidua, templum parochiale Oldeslebienſe monaſterio illius loci incorporaret, id quod Erfurti factum, Sizzo Comes

p) Dipl. apud Ludewig Reliqu. X. p. 135. [cf. quoque Doctiſſ. *Bern. Frid. Rud. Lauhn* diſſ. de Wigmanno Conditore monaſterii Caldenborn Comite nec Orlamundano nec Vinarienſi Ien. 1762. 4. p. 12. *Editor.*]

q) Chronicon Gozecenſe p. 234. 240. ed. Mader.

Comes in numero teſtium habetur. [r]) Sic et a. 113 . cum Henricus Parrochianus in Bredinge, quod dicitur Regis, (*Kœnigsbreitungen*) ad Werram fluuium, domum hoſpitalem, confirmante Heinrico Abbate Hersfeldenſi, fundaret: [s]) ibi ſcribitur *Sicho Comes de Schwartzburg.* Eodem nomine et titulo in diplomate illius anni vtitur, quod Conrado de Watzdorf de paſcuis in Blanckenburg tradidit, et cuius excerpta tantum nota ſunt. [t]) A. 1141. vna cum aliis erat Boumeneburgi, quum Sigfridus, Comes de Boumeneburg, monaſterium Northeimenſe a maioribus ſuis fundatum, vlteriori liberalitate proſequeretur: ibi titulum gerit *Comitis de Keuerenberg.* [u]) Eodem anno Sizzo Comes de Schwartzburg Herbipoli teſtis adducitur, quum Rudolphus, Epiſcopus Halberſtadenſis, pro monaſterio Cellae Paullinae in Thuringia diploma exarari iuſſiſſet. Leuckfeldius, qui haec narrat, has ipſas litteris alio tempore ſe editurum promiſit, [x]) quod vero, quantum ſciam, factum non eſt.

§. 8.

Interea Sizzo Comes cum coniuge Giſila, filiisque Henrico et Gunthero, in loco poſſeſſionis ſuae monaſterium Vallis S. Georgii condidit, et adductis ex

r) Dipl. apud Menckenium S. R. Germ. I. p. 616. et Schamelium de monaſt. Oldislebienſi p. 33.

s) Dipl. apud Sagittarium hiſt Glichenſi p. 41. et Leuckfeld de monaſt. Gratia Dei p. 123.

t) Io. God. Büchnerus praef. ad Koenigs Adels-Hiſtorie Tom. III p 2.

u) Dipl. apud Schwarzium Mantiſſa p. 1133. et Harenbergium hiſt. Gandersheim. p. 708.

x) Leuckfeld de monaſt. Gratia Dei p. 41.

ex monasterio Morimundensi, quod in Campania Galliae situm est, religiosis, Eberhardum cognatum primum eiusdem Abbatem constituit. Hanc fundationem a. 1143. Henricus Archiepiscopus Moguntinus auctoritate sua confirmauit, [y]) ex cuius diplomate terminos illius monasterii addimus, vnde simul constabit, vbinam praedia et possessiones Sizzonis nostri quondam sitae fuerint: Howerieth [z]) *cum terminis suis vsque* Hirzberc [a]) *versus orientem, vsque* Sconouwe [b]) *versus septentrionem, vsque* Sundere [c]) *versus meridiem, siluosos duos montes ad se pertinentes habens versus occidentem. Item* Asolueroth [d]) *cum omnibus pertinentiis suis, cum tota silua* Louba [e]) *dicta, scilicet a porta cimiterii villæ, quæ dicitur* Aldenberc

y) Dipl. apud Paullini Dissert. X. p. 93. Fellerum Monum. ineditis p. 587. Rudolphi Gotha diplom. II. p. 244. Hahnium Collect. I. p. 78. vbi monendum, quod Fellerus et Hahnius a. 1140. minus recte ponant, quippe quem Indictio VI. addita non patitur.

z) *Das hohe Rieth, wo die Viehweide ist.*

a) *Der Hirschberg im Georgenthaler Forst, zwischen Herrnhof und Schönau.*

b) *Das Dorff. Schönau gehöret noch heutiges Tages zum Amt Georgenthal.*

c) *Sundere*, et loca reliqua, de quibus nihil adnotaui, hodiernis temporibus non amplius nota sunt, sed iniuria temporis interierunt.

d) Hoc erat nomen villae, iuxta quam monasterium Vallis S. Georgii exstructum fuit.

e) Sic quondam vocata est integra silua Thuringica, cuius maximam partem monasteria Reinhardsbornense, Vallis S. Georgii et Cellae Paullinae acceperunt. Vide Pol. Lyserum de Lachis Loubae p. 7. 12. 13.

berc [f]) *per viam, quæ ducit ad flumen* Lina *ad sinistram. Dein per ascensum eiusdem fluminis versus occidentem ad callem, qui ducit ad arborem* ahorn. *Inde ad plateam, de platea vsque* Eberhardsbruggen, *dein vsque* Willeheresrode, *dein* Frankenstic *per ipsum callem ad fluuium* Aphilste, [g]) *inde per descensum vsque* Swanehildfurt, *inde ad riuum* Hagenbach, *inde versus orientem per callem, qui ducit* Rekkers, *cum toto fundo* Hopfgard. *Inde ad plateam per ascensum plateæ vsque* Hagen, *per ascensum riuuli vsque* Wanungesbruggen, *inde vsque ad præfatam portam cimiterii villæ* Aldenberc. Herrinhof [h]) *quoque prædium, cum omnibus pertinentiis suis dimidium.* Herd [i]) *quoque cum omnibus, quæ ad ipsum pertinebant.* Omnia haec confirmauit Henricus Archiepiscopus, et in suam ecclesiaeque suae Moguntinensis tutelam suscepit. Acta sunt haec Moguntiae, praesentibus multis testibus, 13. Cal. Apriles, 1143.

§. 9.

Anno sequenti 1144. Conradus Imperator, a Sizzone, qui tunc Comes de Keuerenberc audit, rogatus, idem monasterium cum bonis suis Babenbergae confirmauit. Intra illud tempus et priorem confirmationem accessio quaedam ad bona monasterii facta

f) *Altenberg* est ille locus, vbi S. Bonifacius primum templum in Thuringia exstruxit, quod hodienum superest.

g) *Apfelstedt* est fluuius, qui in silua non procul a Valle S. Georgii oritur, et post in Geram se exonerat.

h) *Herrnhof* est villa inter Vallem S. Georgii et Hohenkirchen sita, ad praefecturam Georgenthalensem spectans.

i) *Herd*, praedium Nobilium de Griesheim prope vrbem Ordorf, versus orientem.

facta est. Reliqua omnia, quae modo adfuerunt, etiam litteris Imperatoris continentur, sequentia autem inserta sunt: *deinde* Frankenstic, *inde vsque* Kaldenstuden, *inde vsque* Smalewazzere, *de quo vsque ad plateam, quæ ducit* Heselenvelt *vsque in* Rotenbach, *vsque ad fluuium* Apphilste. Et postea porro quaedam post *Herrinhof* adduntur: *Hæ autem sunt pertinentiæ*, Gozberg *dimidium*, Saxenfelt *dimidium*, Vizenrod *dimidium*. Herde *quoque* etc. [k])

§. 10.

Circa hanc de erectione monasterii narrationem duo quaedam momenta inquisitione digna sunt, quae strictim perlustrabimus. Alterum est de tempore, de quo dispiciendi diploma prius ansam nobis suppeditat. Quaedam illius editiones, etiam illa, quam Celeb. Hahnius ex autographo dedit, ponunt annum 1140. quod perperam factum. Nam illo anno neque Henricus dignitatem Archiepiscopi Moguntini possedit, neque Indictio VI. fuit. Henricus demum a. 1142. ordinatus est, et Indictio VI. incidit in a. 1143. igitur litteras hoc anno datas esse oportuit, quem etiam Rudolphi posuit. Alii initium monasterii in a. 1132. [l]) 1140. [m]) 1142. [n]) collocant, alii demum

a. 1147.

k) Dipl. apud Fellerum Monum. inedit. p. 590. Rudolphi Gotha dipl. II. p. 245. Lyserum de Lachis Loubae p. 16. Orat. Georgio M. Britanniae Regi a. 1723. dicta p. 8.

l) Auctor Compilationis Chronol. Tom. I. Pistorii p. 737. Chron. S. Aegidii, Tom III. Leibnit. p. 585.

m) Siffridus Minsensis ad h. a.

n) Mon. Benedictinus de fundatione quorundam monasteriorum a Madero post Chronicon Montis Sereni editus p. 277. Mon. Pirnensis p. 1561. Auctor de Landgrauiis Thur. ab Eccardo editus p. 377.

a. 1147. habent. o) Neque tamen ex hac auctorum differentia multum colligas, aut auctores iure tibi refutandos ſumas. Notum eſt enim, monaſterium aliquod non vno et eodem anno abſolui. Fortaſſe initium aedificandi diu ante factum eſt, quam litterae fundationis datae ſunt. Hae enim prius conſcribi nequeunt, quam donec magna aliqua ſolemnitate inſtituta, multi ex clericis et laicis proceribus conueniſſent, qui easdem teſtimonio ſuo roborarent.

§. 11.

Alterum eſt de monaſterio Morimundenſi, de quo longior eſſe nolo, quum illud in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis notum ſit. Primus autem Abbas monaſterii Vallis S. Georgii maiorem attentionem meretur, quia iam ſuperius adfuit, eum Sizzoni propinqua cognatione coniunctum fuiſſe. Quae ipſius fata fuerint, docebit nos Leuoldus Northouius: p) *Prædicti igitur Lotharii Imperatoris tempore, qui regnare coepit Anno Domini MCXXVI. cum prædicta duo caſtra Altena et Altenberg et eorum dominia iterum per duos fratres, primorum fundatorum ſucceſſores, quorum vni nomen erat Adolfus, alteri Euerhardus, regerentur, vel communiter, vel diuiſim: accidit vt iidem fratres Adolfus et Euerhardus cum Duce Limburgenſi in bello, in diœceſi Leodienſi, contra ducem Brabantiæ, Comitem Louaniae, et Comitem Flandriæ intereſſent, vbi non modica hominum ſtrages facta eſt. Cum autem iidem Comites reuerſi eſſent*

o) Hiſt. Landgrauiorum Thuring. Tom. I. Piſtor. p. 1916.

p) Leu. Northouius in. Chron. Comitum de Marca Tom. I. Meibomii p. 383. 384. MS. apud Manrique in Annal. Ciſterc. Tom. I. p. 418.

essent ad propria, dictus Euerhardus exinde tam grauem concepit conscientiæ scrupulum et remorsum, vt relictis omnibus, in vili habitu nocturno tempore de castro Altena clam recederet, propositum habens ad peragendam poenitentiam perpetuo se exilio relegare. Sicque Sanctorum Petri atque Pauli in vrbe Romanorum, deinde Sancti Jacobi, postremo Sancti Ægidii limina visitauit, et deinde rediens venit ad quandam grangiam Monasterio Morimundo pertinentem, in qua per plures annos generositatem alti sanguinis parui pendens, vt animam suam lucri faceret, porcos pascebat. Accidit autem, vt duo milites eius ministeriales in peregrinatione iter facerent, et illic pertransirent: qui cum de via dubitarent, quendam, quem secum habebant, histrionem mittunt, vt de via perquirat. Hic pastorem porcorum a longe prospiciens, ad ipsum adiit, de via requirit. Inter hæc pastorem illum curiosius intuens per cicatricem in vultu, quam in bello prædicto contraxerat, ipsum agnouit, et concitato cursu ad dominos suos rediens hoc nunciauit iisdem: qui statim dictum histrionem de tali relatu, tanquam incredibili, redarguere coeperunt: ducti tamen eius assertionis constantia, vsque ad locum, vbi porcos pascebat, venerunt. Et alloquentes ipsum in Teutonico, in Gallico respondebat, vt sic se occultaret, ne eum agnoscerent, quos ipse tamen prius, statim quando eos vidit, agnouit, tandem eorum indefessa percontandi importunitate deuotaque sollicitatione victus, (commota quippe fuerunt eius viscera) illos recognouit. Tunc flentes præ gaudio in eius venerunt oscula, secum ad grangiam pergunt, magistro grangiæ quis sit, et quantus, omnia per ordinem narrantes. Qui admirans non modicum, consurgit de nocte, Abbatem Morimundensem festinus adiit. Abbas non minori admiratione,

mane

mane facto, Priorem et Cellarium aduocat, ipsis, quæ a magistro grangiæ sibi relata fuerunt, refert, et eos secum ad grangiam prædictam adduxit. Vbi per ordinem ab ipso Comite, et a suis militibus veritatem rei gestæ, serio suis cuncta narrantibus, didicerunt. Abbas autem videns hanc in viro tali mutationem fore dextræ Dei excelsi, et ipsum agi spiritu diuino, persuasit, vt habitum monachalem assumeret, Deo, propter cuius amorem se taliter humiliauerat, perpetuo seruiturus: qui consentiens, nam et litteratus erat, ad Monasterium Morimundum cum Abbate adducitur. Factus ibi Monachus, Deo deuotissime seruiebat. Processu vero temporis, cum esset ordinis Cisterciensis feruentissimus zelator et cultor, diuina gratia inspirante, vt ordinem ipsius ditaret, Abbatis petita licentia eaque obtenta, fratrem suum Adolfum Comitem de Altena et alios suos propinquos ad visitandum perrexit. Frater suus Adolfus inter cætera locutionis verba, audito fratris consilio salutari, quia maxime eum diligebat, castrum Altenberg cum multis possessionibus, sibi ad petitionem suam tradidit ad coenobium Cisterciensis ordinis construendum. Proinde multum exhilaratus, gratias Deo persoluens, quia nihil fuisset suæ contrarium voluntati, venit ad Thuringiæ partes visitare consanguineos suos, nobilem virum Zizonem Comitem, et Gizellam Comitissam coniugem suam. Dumque salutaribus monitis coelestis vitæ ipsis pabula monstrasset, tandem consilium dedit, vt fundarent Abbatiam ordinis prædicti. Comes vero, diuina gratia sic volente, ad petitionem vxoris suæ Gizellæ per omnia acquiescens, tradidit domicilio exstruendo montem Sancti Georgii cum omnibus pertinentiis suis. Frater Euerhardus, olim Comes, hæc audiens, Deum in omnibus benedixit, gratias ei persoluens,

in Morimundum cum gaudio est reuersus, et Abbati et conuentui omnia, quæ egerat, exposuit: qui eum in factis suis omnino commendauerunt. Tunc Abbas inito consilio, et assumto fratrum suorum consensu, emissis de Morimundo probabilis vitæ tam Monachis, quam conuersis, virum admodum religiosum ac boni testimonii iam dictum Euerhardum, memorati Comitis Zizonis cognatum, vnanimi voto, parique eorum fratrum consensu, in patrem spiritualem elegerunt. Qui a venerabili Henrico Maguntino Archiepiscopo in Abbatem per Pontificalem benedictionem est promotus. Proinde præfatus comes Zizo cum coniuge sua Gizella, Deo, a quo bona cuncta procedunt, gratias exoluentes, locum ipsum cum consensu filiorum suorum, Henrici et Guntheri, et aliorum legitimorum hæredum, omnipotenti Jesu Christo, ejusque sanctissimæ genetrici Mariæ, sanctoque Georgio Martyri, et beato Benedicto in odorem suauitatis obtulerunt.

Vnde vero illa cognatio Comitum Marcauorum cum Sizzone orta sit, fateor me adhuc nondum inuenisse, quamuis multum de illa re sollicitus fuerim. Fortasse ad coniugem illius pertinet.

§. 12.

A. 1144. quum Diemo, ministerialis Conradi, Marchionis Misnensis, bona quaedam monasterio S. Petri Erfurtensi conferre vellet, ea loco Conradi modo dicti, Sizzoni et Lamberto Comitibus, (quorum posterior ex Glichensibus fuit) tradidit, qui ea postea in altari S. Petri et Pauli monasterio obtulerunt. q) A. 1147. vel sequenti Sizzo inter testes exstat,

q) Dipl. apud Schannat Vindem. I. p. 183.

exstat, cum Praepositus monasterii Gratia Dei et Hermannus de Seueritz praedia quaedam permutarent. [r]) Annus nati Seruatoris in litteris non est expressus, sed tantum annus Imperatoris, ex quo de epocha illarum aliquo modo iudicium ferri potest. Anno 1148. Erfurti testis fuit, cum Henricus Archiepiscopus Moguntinus Gunthero Episcopo Spirensi potestatem faceret aediculam (capellam tunc vocabant) in monasterio Breitungensi, in tractu Hennebergico, consecrandi. [s]) A. 1149. Herbipoli fuit inter testes, cum Conradus Imperator Episcopatui isti bona quaedam largiretur, addita tamen conditione, vt ille alia quaedam monasterio Ebracensi concederet. Subscriptio eius hoc habet elogium: *Sisso Comes Thuringiae.* [t]) Anno eodem in concilio Erfurtensi, quaedam cum ipso acta sunt, quae his verbis enarrat Praeses illius, Archiepiscopus laudatus: „*Primum capitulum erat de* quodam Abbate de *Burgi-* „*lin*, qui querimoniam habebat aduersus comitem *Si-* „*zonem*, quod quaedam bona ecclesiae suae violen- „ter tulisset, et pertinaciter teneret, quam a domino „Papa nobis iniunctam consilio et auxilio fratrum no- „strorum *vtrimque facta pace et concordia terminaui-* „*mus.*„ [u]) Nimium decurtata est huius liticulae descriptio, alias fortasse plura ad historiam Sizzonis nostri spectantia inde addisci potuissent. A. 1151.

r) Dipl. apud Leuckfeld de monast. Gratia Dei p. 40.
s) Dipl. apud Sagittarium Hist. Glichensi p. 43.
t) Dipl. apud Bruschium Chronol. Monast. p. 147. et in Lucae Grafen-Saal, p. 1019.
u) Epist. apud Martene et Durand Collect. ampliss. II. p. 294. Ober-Saechs. Nachlese IV. p. 572.

bis testis fuit, quum Fridericus Archiepiscopus Magdeburgensis et Wichmannus Episcopus Numburgensis bona monasterii Bosaugiensis confirmarent. [x]) A. 1157. quum Archiepiscopus Moguntinus et Abbas Sanpetrinus bona quaedam permutarent, Sizzo Comes vna cum filio Henrico inter testes numeratur. [y]) Ad annum incertum pertinet transactio inter monasterium Reinhardsbornense et Vallis S. Georgii, cui testes fuerunt Sizzo et vxor et filii eius Comites. [z]) Tandem Sizzo Thuringiae Comes fato suo functus est a. 1160. [a])

§. 13.

At, inquies, vitam nobis enarras satis concisam, in qua multa desunt, sic vt ne annus quidem natiuitatis proferatur. Fateor, mi Lector, sed culpa est seculi, quod in describendis terrarum nostrarum fatis parcissimum fuit. Supersunt tamen alia quaedam de Sizzone producenda, de maioribus illius, de stirpe communi Comitum Ruthenorum, Schwartzburgicorum et Glisbergensium iuxta Ienam, nec non de conditione, qua ipse in Thuringia illo aeuo fuerit. Multa hic occurrent, in quibus cespitauit Rühlmannus, et iura ipsi maiora tribuit, quam historia illorum temporum permittit.

De

x) Dipl. apud Schamelium in Supplem. ad histor. monast. Bosaugiensis p. 28. 23.
y) Dipl. apud Schannat Vindem. II. p. 4.
z) Dipl. apud Rudolphi Gotha diplom. II. p. 47.
a) Chronicon Sanpetrinum p. 220.

De Sizzone Comite Keuernburgico eiusque maioribus.

Commentatio altera.

§. 1.

De Maioribus Sizzonis.

Duos tantum habemus ſcriptores, qui huc vſque de maioribus Sizzonis noſtri, primisque originibus Illuſtriſſimae domus Schwarzburgicae fuerunt ſolliciti. [a]) Prior eſt Martinus Chriſtophorus Laurentius, Rector Scholae Senatoriae Numburgenſis, qui Monumenta Sueuorum in Doringia inueſtigauit et edidit. Veſtigia Sueuorum et Romanorum in Thuringia vidit, quae nulla vnquam fuerunt, et ne coniecturis quidem, ſine quibus hiſtoricus eſſe non poteſt, ſed potius ſomniis indulget. Keuernburgum ſtatuit eſſe Capraemontem, Gallice *Chievremont*, Comitesque illius ex tractu Leodienſi in Thuringiam perueniſſe aſſerit. En igitur veſtigium Sueuorum! Deinde ad maiores Sizzonis vbi peruentum eſt, dicit eo tempore, quo caſtrum Chevremont deſtructum fuit, Nobilem quendam virum exſtitiſſe in Doringia, qui veteri Keuernburgiorum nomine vocatus ſit. Nomen eius fuit Ciza, cuius Ditmarus, Epiſcopus

 Merſe-

a) Plures poſtea prodierunt ſcriptores hiſtoriam gentis Schwarzburgicae eiusque origines illuſtrantes, quorum tantum nominamus duos: *Lebr. Wilh. Heinr. Heydenreichs Hiſtoria des Hauſes Schwarzburg* Erf. 1743. 4. et *Io Tob. Roenick diplomat. Nachleſe zur Genealogie der Grafen von Schwarzburg und Kefernburg, darinnen inſonderheit beyder Hæuſer gemeinſchafftlicher Vrſprung vnterſuchet wird.* Saltzwedel 1755. 4. *Editor.*

Merſeburgenſis, meminit. Audiamus illum: [b]) *Sed quia ſuperius deſtructionem Brandenburgenſis Eccleſiæ dixi, nunc qualiter ad tempus præfato ſubderetur regi,* (Ottoni III.) *breuiter explicabo. Fuit in noſtra vicinitate,* (vrbis ſcilicet Merſeburgenſis) *quidam miles inclytus* KIZA *nomine, qui a Marchione Thiedrico aliter, quam ſibi placeret, habitus eſt. Ob hoc, et quia facultas ſuæ nunquam impietati ſuppeteret, ad hoſtes perrexit noſtros, qui eundem in omnibus ſibi nimis fidelem cognoſcentes, ſupra memoratam vrbem* (Brandenburgenſem,) *nobis ſatius ad nocendum, eidem commiſerunt. Hic poſtea noſtris delinitus blanditiis, eam regiæ poteſtati cum ſemetipſo tradidit. Vnde Luitici nimio furore ſuccenſi, eum cum omnibus, quas habebant cateruas, illico petebant. Poſthæc Kiza ad Quedilingeburg cum veniret, ciuitatem ſuam* (Brandenburgenſem, quam praeſidio tenebat) *cum vxore et ſatellitibus ſuis perdidit, quæ omnia, vrbe excepta, poſt receperunt. Vnus autem ipſius miles, Bolitius nomine, cuius conſilio hoc totum, quamuis tunc abſens eſſet, agebatur, ibidem dominabatur, et Kiza cum in his partibus poſt latenter nocere voluiſſet, optimus miles cum ſuis interfectus eſt.*

§. 2.

Ex his verbis in rem praeſentem duo concludimus: 1. Illum Kizam vixiſſe in vicinia Merſeburgi, deinde in vrbe Brandenburgenſi. 2. Genus, maiores et poſteros ipſius eſſe incertos. Laurentius vero longe plura hic videt. Primo ait, deſtructo caſtro Chevremont Ciza quidam auctor familiae Keuernburgicae fuiſſe videtur. Secundo, ille Kiza mutandus

eſt

b) Ditmarus lib. IV. pag. 75. 76. edit. Maderi.

eſt in Ciza. 3. Nam filius eius Sizzo, idem eſt, ac *Ciſæ Sohn.* 4. Illum Ciſam ſuum *Nobilem virum* facit ſiue Comitem, qui Ditmaro tantum *miles* vocatur. 5. Ille nobilis vir fuit in Doringia. Haec certe ſomnia ſunt vigilantis, non autem aſſerta bona hiſtorici, ſingula ex teſtimoniis documentorum fide dignorum bono cum iudicio deducentis. Omnia vero eodem iure abiiciuntur, quo ab illo prolata ſunt.

§. 3.

Vt vero Lectores intelligant, quae de Capraemonte ſiue *Chievremont* dicta ſunt, neceſſe erit, pauca quaedam de illo monere. Situm fuit illud caſtrum in dioeceſi Leodienſi, et circa a. 980. ab Epiſcopo Leodienſi deſtructum eſt, de qua re audiemus narrationem Chronici Magni Belgici ad a. 972. *Ciuitas Leodienſis adhuc parua, erat irruptione violentiorum, et caſtri Capræmontis adiacentis frequentibus iniuriis obnoxia, cuius caſtri acceſſus tam difficilis erat, vt ad nullius paueret aſſultus et obſidiones. Eius igitur caſtri dominus cum ex vxore nobiliſſima haberet filium, Epiſcopum Leodienſem precatur, vt eum baptizet: qui annuit, et die aſſignata venit cum multa militum manu, qui, quaſi Clerici eius eſſent, proceſſionaliter eum præcedunt, cappis deſuper indutis habitum militarem et arma celantes, quibus venientibus occurrit miles* (caſtri dominus) *gratanter: illi autem intrantes ſe armatos oſtendunt, et caſtellum funditus deſtruxerunt.* c) Quia

 igitur

c) Adde Albericum ad a. 972. Aegidii additiones ad Anſelmi vitam Notgeri Epiſcopi Leodienſis cap. 50. Tom. I. Scriptorum Leodienſium Chappeauvillii p. 200. 201. De eodem caſtro vero plura congeſſit Laurentius in Monumentis Sueuorum p. 136. 137.

igitur hoc caſtellum ab aliquibus, teſte Valeſio in Notitia Galliarum, *Kevermont* dictum fuit, hinc Keuernburgum Thuringiae inde ortum eſſe credunt, quia hic miles ex agro Leodienſi eiectus huc conceſſerit, et caſtrum nouum eiusdem nominis erexerit. Non poſſumus autem hoc ſine teſte credere, praecipue quum argumentum a ſola nominis conuenientia deductum non adeo multum roboris habere deprehendatur.

§. 4.

Sententia Rühlmanni exponitur.

Alter, qui de maioribus Sizzonis et originibus domus Schwarzburgicae ſollicitus fuit, eſt Godofredus Rühlmannus, Conſiliarius et Hiſtoricus Schwarzburgicus, cuius iam ſuperius diſſert. I. mentionem iniecimus. Is mentem ſuam quidem aperuit, ſed tamen et hoc addidit, ſe meliora docentibus lubentiſſime conceſſurum. Ita igitur ſtatuit: Pater Sizzonis *creditur* eſſe Albertus, cuius nomen habetur in Genealogia Schwarzburgica, Vitae Guntheri Schwarzburgici ab Ahasuero Fritſchio editae adiecta. Is *procul dubio* eſt, quem Lambertus Schafnaburgenſis Comitem de Thuringia vocat, quia illo tempore nullus alius huius nominis Thuringiae Comes fuit. Huius Alberti pater in Genealogia modo dicta eſt Sigismundus, mortuus a. 1082. auus Henricus, †. 1051. proauus Wilhelmus, †. 1032. abauus Wilhelmus, Comes Vinarienſis, quem a Witikindo Saxone deriuant. Paullo poſt mentem mutat, et aliam coniecturam profert in hunc modum: Ludouicus Barbatus, Comes Thuringiae, inter alios Albertum filium habuiſſe *dicitur*, ſic igitur Ludouicus, primus Thu-

ringiae

ringiae Landgrauius et Sizzo duorum fratrum filii fuiſſent. Hinc *fieri potuiſſet*, vt poſteri Sizzonis deficiente ſtemmate Landgrauiorum Thuringicorum, haereditatem illam ſatis pinguem cernerent. Et hinc quoque Sizzo Comes intuitu conſanguinitatis cum Vdone, Epiſcopo Numburgenſi, aliquid ad fundationem templi huius cathedralis conferre *potuit*. Tandem et tertiam addit ſententiam, Sizzonem cum reliquis fundatoribus templi laudati conſanguinitate iunctum fuiſſe. Si igitur Albertus pater, Sigismundus auus, et Henricus proauus manerent, huius patrem *adſumi* Guntherum II. filium Eccardi I. Marchionis Miſniae, cuius deinde proſapia vſque ad Witikindum deducitur. Tres igitur ſententias vno velut halitu adfert Rühlmannus, quae quum ſimul verae eſſe non poſſint, ſed potius vna alteram tollat, ipſe tamen non indicauit, cuinam ex illis adſtipuletur.

§. 5.

Refutatio illius.

Nunc meum eſt oſtendere, parum ſani eſſe in omnibus illis, quae a Rühlmanno prolata ſunt, et ne coniecturas quidem hiſtorico dignas adeſſe. Ego ſequentia noto:

1. Pater Sizzonis non fuit Albertus, ſed Guntherus, Nobilis in Thuringia, id quod teſtimonio Annaliſtae Saxonis, ſcriptoris fide digniſſimi, comprobauimus.

2. Ad Genealogiam Schwarzburgicam ab Ahasuero Fritſchio editam nemo hiſtoriarum peritus prouocabit, quippe cui non niſi figmenta impoſtoris cuiusdam inſunt. Idem ſentiendum de alia, quam

Theatro Saxonico inseruit Laurentius Peckenstein, Pseudohistoricus et impostor famosissimus. Idem de Genealogia Leuberiana, quam vna cum aliis ex cerebro effictis Tomo III. Scriptorum Germanicorum inseri iussit Celeb. Menckenius, indignas sane, quae praelum exercerent, adeo nil nisi nugas proferunt et fumum vendunt. Ratio, cur omnes illos reiiciam, est, quia repugnant diplomatis et historicis fide dignis, sic, vt ne Sizzo quidem noster, quem dissertatione superiore tot documentis fide dignis adstruximus, in iisdem appareat. Porro in vtraque origines Comitum laudatorum tam alte repetuntur, vt omnem fidem merito amittant, quia vsque ad seculum VIII. et vltra nihil certi in historia Comitum Thuringicorum ostendes. Fuerunt autem seculis superioribus, praecipue XVI. impostores huiusmodi quamplures, qui familiis illustribus illuserunt, iisque stirpem plerumque maiorem adfinxerunt. Sed nostris temporibus manus historicorum oculatiores factae sunt.

3. Quia igitur pater Sizzonis, quem Rühlmannus proponit, minime consistit, et Genealogia tota falsa est, sequitur maiores reliquos vsque ad Witikindum esse fabulosos.

§. 6.

4. Ad alteram sententiam Rühlmanni pergimus, vbi insignem illius parachronismum deprehendimus. Sizzo noster, qui in historiarum monumentis ab a. 1114. ad 1160. memoratur, multum contribuisse dicitur ad erectionem templi cathedralis Numburgensis, ad quod sedes Episcopalis Cizensis circa a. 1030. trans-

translata eſt. [d]) Igitur duos Sizzones ille confudit, quod miror etiam factum eſſe a Sagittario in Corollariis ad hiſtoriam Eccardi II. Marchionis Miſnenſis, qui et ipſe inter primos huius templi fundatores memoratur.

5. En quam lubrico fundamento Rühlmannus imponat inſigne aliquod ius (*praetenſionem* hodie ſtilo pragmatico vocant) Comitum Keuernburgicorum et Schwarzburgicorum in Landgrauiatum Thuringiae. Sane ſi illi aliquid iuris certi et fundati habuiſſent, potuiſſent illis temporibus, quum vltimus Landgrauiorum fato ſuo functus eſſet, ſi non totam Thuringiam et Haſſiam, certe aliquam illius particulam nanciſci, idque ope foederatorum quorundam, quos facile ſibi adiungere licuiſſet. Verum et hoc obſeruandum erat hiſtoriarum et politices non ignaro, in ſucceſſionibus ad cognationem propinquiorem, non autem remotiorem reſpici ſolere. Demus, Comites Schwarzburgicos ex Thuringicis ortos fuiſſe, adfuerunt tamen illo tempore haeredes propiori ſanguine iuncti, nimirum Henricus Illuſtris, et Sophia Brabantina cum filio Henrico puero. Igitur Schwarzburgici in terris Thuringicis antea non poterant ſuccedere, donec et horum ſtirps omnis exſpirauerat. Et huius rei Comites illi optime ſibi conſcii fuerunt, ſcilicet nihil ad ſe totum hoc negotium ſpectare, ac proinde in reliquorum Comitum numero leguntur, qui Henricum Illuſtrem, Marchionem Miſnenſem, legitimum haeredem agnouerunt.

§. 7.

d) Dipl. apud Sagittarium hiſt. Eccardi II. Sect. 15.

§. 7.

6. Non ſatis recte concluditur: Plures ad eiusdem aedis ſacrae fundationem concurrerunt: Igitur omnes illi conſanguinitate iuncti fuerunt. Si quis enim in ſingulos illos templi Numburgenſis auctores velit inquirere, facillimo negotio inueniet, eos animo potius, quam ſanguine, fuiſſe coniunctos.

7. Patrem et auos Rühlmannianos iam ſupra reiecimus. Hoc vero gratis adſumitur, Henrici, qui nunquam in rerum natura fuit, patrem fuiſſe Guntherum, Eccardi II. filium. Ergo totum illud ſtemma inde a Witikindo vsque ad Sizzonem noſtrum vno velut halitu difflatum corruit.

§. 8.

Hiſtoria Comitum Keuernburgicorum ἄδηλος enarratur.

Noſtrum igitur eſt iam veriora proferre, ſed antequam ad hiſtoriam Comitum Keuernburgicorum veram accedamus, tempus quoque ἄδηλον, ſiue mythicum, prius pauciſſimis adtingendum erit. Iam aeuo Bonifacii Hugonem quendam, Comitem Keuernburgicum nobis fingunt, qui quidlibet ex quolibet facere didicerunt. Auctores vitae S. Bonifacii narrant, illum alicubi coruos et coturnices precibus ſuis abegiſſe. *Compertoque*, addit Othlonus, [e]) *quod Hugo, qui dicebatur ſenior, illius loci poſſeſſor eſſet, petiit ab eo, vt ſibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Thuringorum haereditatem ſuam tradidit venerando Praeſuli.* Hic igitur aliquis fortaſſe fuit, qui diceret, locum illum ibi ſitum

e) Othlonus in vita Bonifacii c. 29.

ſitum eſſe, vbi poſtea Comites Keuernburgenſes ſedem fixerunt, quale quid inuenias apud Petrum Albinum: f) ſtatim igitur reliqui illum Hugonem Comitem Keuernburgenſem fuiſſe pronunciant, quod nemo hiſtoriarum gnarus admittet. Vrgemus ſilentium Bonifacii, et eorum, qui vitam illius exponunt. Proponat ſibi quis conditionem illius regionis, quae maximam partem inculta et ſiluis horrida fuit, et in qua equidem incolae ſparſim habitarunt, ſed nomen Comitum et Principum ibi prorſus fuit incognitum. Aliam quandam traditionem refert Anonymus, ſcriptor Thuringus, his verbis: g) *Sub Ludouico Nobiles Comites de Keuernburg terrae Thuringiae, monaſteſterium prope Waſſenburg in honorem S. Walpurgis conſtruxerunt, ſub anno Domini DCCCCXXV. quod poſtea translatum eſt in oppidum Arnſtat.* Nullum alium habemus auctorem antiquum, qui huius rei mentionem faciat, hinc rem in medio relinquimus.

§. 9.

Origines certiores Comitum Schwarzburgicorum.

Vt igitur veriora et certiora de primis Schwarzburgicorum originibus doceamus, exſtat Narratio antiqua vernaculo ſermone conſcripta de fundatione templi S. Viti in Variſcia, ex quo deinde natum eſt monaſterium Mildenfurtenſe. h) Ex ea, quae ad rem noſtram faciunt, latino ſermone conuerſa exhibemus: „Notum ſit omnibus, quod tem„plum parochiale S. Viti primo fundatum ſit ab *At„tribone*

f) Albini ſpecimen hiſtoriae Thuringorum nouae p. 376.
g) Autor hiſt. de Landgrauiis Thuring. c. 8.
h) Exſtat in Io. Ioach. Mülleri *Entdeckten Staats-Cabinet* tom. III. pag. 199.

„*tribone* Comite *Schwarzburgico*, *et Willa* eiusdem „coniuge, anno post natum Christum DCCCCLXXIV. „Is duos fratres habuit, alter erat *Zisce*, alter „*Walkabe*, Episcopus *Numburgensis*. *Attribo* et „*Zisce* Comites haeredes masculos non procrearunt, „*Zisce* vero filiam vnicam habuit *Iordanam*, quam „*Eckeberto* Comiti *Osterrodensi* nuptum dedit.„ Narratio haec satis bona est, sed a manu recentiore profecta, hinc quaedam immutata sunt, et manu Critica egent, quae si non accedat, fabulosa pleraque videbuntur. Necesse est igitur, vt haec illustrentur, et cum aliis scriptoribus conferantur.

§. 10.

Sequentia vero hic erunt obseruanda:

1. Nomen *Attribonis* melius alii scribunt *Aribo*, quod illis temporibus satis erat vulgatum.

2. Comes *Schwarzburgicus* dicitur per anticipationem, quia scilicet Comites Schwarzburgici ab illo originem ducunt. Arx autem Schwarzburg illo tempore nondum nota fuit.

3. *Aribo* ille simul fuit Comes Glisbergensis, et ab illustrissima domo Comitum Ruthenorum primus fundator agnoscitur, quam traditionem in Genealogiis et documentis suis constanter adseruarunt. Tale quid memoratum inuenies in Concione funebri Henrici IX. Rutheni, quam M. Gabriel Hartung, Superintendens Schlaizensis, a. 1666. edidit. [i]) Ipse quoque Illustrissimus Henricus XIII. in Genealogia Ruthenorum, quam Noribergae a. 1715. edidit, eandem traditionem adsensu suo confirmauit. Neque haec

i) Adr. Beierus in Geographo Ienensi c. 11. p. 234.

haec secum repugnant, duos districtus siue Comitatus simul possidere. Imo, si quid video, ne Aribo quidem Comitatum, qui postea Schwarzburgicus dictus est, possedit, sed tantum haeredes ipsius domini terrarum Schwarzburgicarum facti sunt.

4. Hunc Aribonem Io. Lindnerus [k]) Comitem de *Aza* scribit: forte *Ascha* est, oppidum Voitlandiae ad fines Bohemiae situm. Sed certum quid definire non audeo. Mortuum vero dicit a. 1024. adeoque ipsum annis adhuc iuuenem templum S. Viti condidisse adparet.

§. 11.

5. Sequitur *Zisce* frater, qui alias quoque *Sizzo* dicitur. Is a Paullo Langio dicitur Comes Keuernburgicus, [l]) itidem per anticipationem, quum illis temporibus nondum consuetudo inualuisset, Comitatum nominibus propriis adiungendi. Ille Sizzo fuit inter fundatores templi Cathedralis Numburgici, et sumtus simul erogauit, vt sedes Episcopalis Ciza Numburgum transferretur. [m]) Hinc quoque imago illius in choro templi laudati visitur, cum scuto leonem erectum ostendente, additis verbis: SIZZO COMES DO. quod est *Doringiae*. [n]) Quum igitur haec translatio sedis Episcopalis circa a. 1030. contigerit, tempora conueniunt cum illo, quem Narratio Mildenfurtensis *Zisce* vocat. Insignia vero et titulus illius nobis postea magno erunt vsui.

§. 12.

k) *Monachus* Pirnensis Tom. II. Menkenii, p. 1447.
l) Paul. Langius Chron. Citizens. p. 771.
m) Dipl. apud Sagittarium hist. Eccardi II. sect. 15.
n) Exstat illa apud Hahnium Collect. I. p. 80. in Groetschii descriptione Salae fluuii p. 26. edit. Schamel.

§. 12.

6. Tertius ex fratribus dicitur *Walkabe*, Monacho Pirnensi *Walkoldus*, Episcopus Numburgensis. Is aliquam difficultatem primo intuitu creauit. Nam Walramus siue Walrabanus, Episcopus, demum sub finem seculi XI. et initium duodecimi, Ecclesiam suam rexit. Sed bene est, error ille librariorum, qui hic occurrit, leui mutatione sanari poterit. Fuit illo tempore Hildewardus, Episcopus Numburgensis: Is alias quoque *Wildewardus* o) dictus fuit, quod nomen scriptores non recte adsecuti sunt, et successu temporis ita deprauarunt. Hunc vero ex gente Comitum Glisbergensium oriundum fuisse, tum Narratio memorata probat, tum illud, *quod Comitibus de Glisperg multa bona contulit, vt bene meritis de Ecclesia* Numburgensi: p) Accedit testimonium Petri Albini et Adriani Beieri, q) scriptorum equidem recentiorum, sed qui tamen procul dubio antiquiorum vestigia sequuntur. Tempora quoque conueniunt: nam ille Wildewardus ab anno circiter millesimo vsque ad a. 1029. Ecclesiae suae praefuit. Iam quoque rationem videmus, cur Sizzo ad fundationem aedis nouae cathedralis aliquid contulerit, quia scilicet frater fuit Episcopi, qui translationem vrsit et promouit.

§. 13.

o) Mon. Pirnensis *in der Ober-Sæchsischen Nachlese* II. p. 282.

p) Acta et facta Praesulum Nuenburgensium, in Syntagmate Paullini, p. 130.

q) Albini Misnia tit. XXI. p. 284. Beierus Geogr. Ienens. c. 10. p. 208. 209. c. 11. p. 236.

§. 13.

7. *Zisce* siue *Sizzonis* filia *Iordana* nupsit *Ecberto* Comiti *Osterrodensi*. Narratio laudata ipsum propter fortitudinem et prudentiam negotia Imperatorum tractasse, et legationibus functum esse tradit. Monachus Pirnensis Iordanam Aribonis filiam facit, Ecbertum vero Eccardsbergam, Osterradam et partem Voitlandiae (quae illo tempore hoc nomen nondum acquisiuerat) possedisse tradit. De Eccardsberga dubito. Nam illa vrbs a duobus Eccardis, Misniae Marchionibus, ad Ecbertos, qui eadem dignitate gauisi sunt, ortu vero Duces Brunsuicenses erant, peruenit. [r]) Adeoque Lindnerus Ecbertos confudit. De nostro Ecberto plura non inueni. Ecbertus quidam Comes a. 1060. occurrit, [s]) sed non audeo pronunciare, an ille noster sit: neque de illo prolixior esse cupio.

§. 14.

8. *Osterroda* quaenam sit, sollicite inquirunt Auctores historiae Comitum Ruthenorum. Et Osterodam quidem Saxoniae inferioris ciuitatem hic innui credunt, quippe quae Comites quondam habuit, Lutterburgicos dictos. Verum nec vola, nec vestigium eius rei adest, quae inter hos, Schwarzburgicos et Ruthenos aliquam cognationem ostendat. Meliori iure illam Osterrodam in terris Schwarzburgicis quaeremus. In praefectura enim Ehrensteinensi est villa, quae dicitur *Oesterrœde*, vbi praedium est et ouile Princi-

r) Anon. *Erzehlung von Eccardsberge* (Ien. 1690. 4.) quae etiam exstat in I. C. Olearii Syntagmate rerum Thuring. II. p. 9.

s) Chronographus Saxo ad a. 1060.

Principum Schwarzburgicorum. [t]) Haec in relatione iudicii cuiusdam a. 1417. ſcribitur *Oſtonrode*, [u]) antiquioribus temporibus *Vſterrot*. Quod ſi quis obiiciat, in villa tam abiecta non potuiſſe ſedem Comitis locum habere, huic reſponſio facillime oggeritur. Multa ſunt cadauera arcium, quae priſtinum ſplendorem prorſus amiſerunt, et de quibus cum Poëta ſic ſtatuas:

Hic ſeges eſt, vbi Troia fuit.

Non fui in illis regionibus, ſed, ſi quis in rem ſollicite inquirat, fortaſſe veſtigia arcis cuiusdam ibi reperiantur, et archiua quoque notitiam clariorem ſuppeditare queant. In narratione vero Mildenfurtenſi ſuperius memorata ſequentes Comites Oſterodani memorantur: *Regell*, frater Ecberti, quo ſine liberis defuncto ſucceſſit *Otto*, filius Ecberti, huic frater *Henricus:* Ab hoc accepit filius *Burcardus*, qui quum ante patrem mortuus eſſet, ad illum rediit Comitatus, a quo ad filium cognominem peruenit.

§. 15.

Inſignem hic ſcrupulum obiicit diploma vernaculum a. 1143. vt praefertur, datum, vbi Heinricus Aduocatus ſe dicit Comitem de Vſterrot et Dominum in Plawe. Verba germanica ſunt: *Wir Heinrich von Gottes Gnaden Voit, Graf von Vſterrot, Herre zu Plawe.* [x]) Et bene eſſet, ſi diploma illo anno ſcriptum

t) Treiberi Chorographia Schwarzburgica p. 141.

u) *In iure et facto gegründete Gegen-Deduction Schwarzb. Arnſtadt contra Sachſen-Weimar, Beyl.* n. 45. p. 59.

x) Dipl. in der hiſtoriſchen Nachricht vom Voigtland (cuius Autor et Chriſtoph. *Coerberus*) p. 120. et apud Polyc. *Lyſerum* de Contraſigillis medii aeui p. 21.

ſcriptum eſſet, quem exhibet. Sic enim concludere poſſemus, ab illo tempore titulum Comitum Oſterodanorum in domo Plauienſi ceſſaſſe. Si vero ille titulus per plura ſecula continuatus eſt, certe res altioris erit indaginis, et accuratiori inquiſitione digna. Non poſſum negare, diploma illud ſuſpectum mihi eſſe, non quoad rem ipſam ſpectat, ſed tantum ratione temporis, quo ſcriptum eſſe traditur. *Coerberus* dicit, autographum illius in Archiuo Gerano, quod Illuſtriſſimis Comitibus Ruthenis commune eſt, adſeruari, ſibique illius copiam eſſe factam. Hinc authentiam eius nemo in dubium vocat. Addit *Lyſerus*, ſibi diploma non eſſe viſum, ſigilla tamen a viro harum rerum peritiſſimo ſecum communicata eſſe. De ſeculo igitur, quod praefert, controuerſiam illi moueo, et quidem ſequentibus rationibus inductus.

Primo diploma ſcriptum eſt lingua vernacula, quae neque ſeculo XII. nec ſequente XIII. niſi inclinante, in Germania in documentis publicis adhibita fuit. Publicum illius vſum, quod omnibus notum eſt, iniunxit Rudolphus Habspurgicus, ſed in terris Saxonicis et vicinis vix documenta vernacula inuenies ante annum 1289. Hoc enim anno Albertus Thuringiae Landgrauius cum filio Friderico transegit. y) Anno ſequenti idem Albertus transegit cum Friderico, fratris filio, z) vtrumque factum eſt lingua vernacula. Annis ſequentibus ſparſim tantum occurrit diploma vnum atque alterum vernaculum, poſt annum vero 1320. frequentiora eſſe incipiunt. Et

P 2 hoc

y) Dipl. apud *Tentzelium* vita Friderici Admorſi p. 925.
z) Dipl. ibid. p. 930.

hoc obseruaui, ex aulis Principum et Comitum prouenisse tabulas vernaculas, quia illi crediderunt, se obstrictos esse mandatis Imperatoris obedire, quum contra Clerici in Episcopatibus et Monasteriis illud non obseruauerint, neque omnes illo tempore sufficientem habuerint linguae germanicae facultatem. Quia igitur diploma de quo agimus, authenticum est, sigillo duplici et contrasigillis instructum, sole clarius exinde patet, illud ad a. 1143. pertinere non posse.

Secundo in his literis occurrunt *librae Halenses*, (*phunt Heller*) quales nummi Halae Sueuicae ante seculum XIII. cusi non sunt, certe ante annum 1228. nemo eorum mentionem facit. Eo enim anno Abbas Bebenhusanus praedium Cimberbuch a Comite Vracensi pro octoginta *libris Halensis monetae* comparauit. [a]) In terris vero nostris prima librorum Halensium mentio fit a. 1315. in diplomate Gothano. [b]) Adeoque et hic sorex est, qui annum 1143. falsitatis coarguit.

Tertio, Subscriptio quoque prodit aliquid. Datae sunt illae literae proxima die Solis post Natiuitatem Mariae, *an dem nesten Sontag nach vnser vrauen tag, als sie geborn wart.* Norunt autem omnes, qui aliquid in re diplomatica et historia patria praestiterunt, seculo XII. in subscribendis litteris viguisse Calendarium Romanum, sub medium autem seculi sequentis demum quosdam dies secundum festa numerari coepisse. Quod si quis exemplis probatum cupiat,

a) *Crusius* Annal. Sueuic. I. p. 21.
b) Dipl. apud *Tentzelium* Suppl. II. Histor. Gothanae p. 83.

cupiat, is modo euoluat *Kettneri* Diplomata Quedlinburgensia, aut aliam huiusmodi Collectionem, quae secundum seriem annorum instituta est, et veritatem asserti mei firmam esse deprehendet.

Quarto, Iudaeorum hic mentio occurrit, qui tamen in his terris ante seculum XIII. non memorantur.

Quinto, Posset et hoc adiungi, non videri verosimile, Aduocatos Plauienses illis temporibus iam ad tantam potentiam euectos fuisse, vt tam egregios haberent viros, nexu clientelari secum iunctos. Tunc enim prima adhuc dignitatis eorum rudimenta fuerunt, neque terrae tam multos habuerunt incolas, quippe quae successu temporis demum auctae sunt. Sed nolo hoc nimium vrgere.

Hi sunt scrupuli, qui me vrgent, quo minus annum illius diplomatis verum agnoscere queam. Et iam aliquid vidit, quem modo laudaui, *Pol. Lyserus*, quippe qui pro seculo XII. (*alff hundert*) decimum quintum (*XIV. hundert*) reponendum esse existimabat. Sed ego literas ad seculum XIV. potius referendas esse coniicio, ea praecipue ratione inductus, quia librae Halenses apud nos seculo XV. numerari desierunt.

Et haec quidem de diplomate. Quid autem faciemus de loco *Vsterrot*, vel vt scribit *Lyserus*, *Vnsterrot*? Hic sane haeret aqua, et nescio, quid statuendum sit. Deficiunt nos monumenta, quae in Archiuis latent abscondita, vel etiam in scriniis priuatorum. Dixi superius §. 14. Osterodam, quae primis Schwartzburgicae gentis auctoribus originem debet, in Comitatu Schwartzburgico esse quaerendam, sed haec in seculum, quod huic diplomati

dedimus, non quadrant, quum gens Schwartzburgica et Ruthenica dudum diuerſas res habuerunt.

§. 16.

9. In explicatione Narrationis Mildenfurtenſis ſupereſt, vt dicam, quid de *Schwartzburgo* ſentiam. At id quidem lector ex iam prolatis ſatis ſuperque perſpiciet. Narratio modo dicta *Schwartzbergam* ſcribit, ac proinde *Petrus Beckierus*, bonus alias hiſtoriae Comitum Ruthenorum ſcriptor, *Schwartzenbergam*, oppidum et praefecturam Electoralem, in circulo metallico Miſnenſi ſitam, indigitari credit. Verum qui hiſtoriam Miſnicam deguſtauit is videbit, eam ſententiam ſibi minime conſtare. Nam totus ille circulus, quem metallicum vocamus, ſeculo XI. ſiluis erat horridus, et ante ſeculum XIII. nullam Schwartzenbergae mentionem fieri videas. Ex quo vero tempore illa floruit, nunquam a Comitibus poſſeſſa fuit, verum Marchionibus Miſnenſibus ſemper ſubiecta manſit. Ego autem credo Schwartzburgum hic intelligi, vnde Comites quondam, hodie Principes Schwartzburgici nomen habuerunt, idque ſequentibus rationibus adductus: 1. quia Comites et Principes Schwartzburgici cum Comitibus Ruthenis eadem habent inſignia. 2. quia Sizzo fuit nomen Schwartzburgicorum maioribus familiare.

10. Ille Ziſce ſiue Sizzo Comes filiam vnicam habuit Iordanam, quam Eckeberto Comiti Oſterrodenſi nuptum dedit; ex quo coniugio deſcenderunt Aduocati Plauienſes et Comites Rutheni.

§. 17.

Nunc conſiderandum eſt, quo tempore tres fratres modo dicti vixerint. Id vero ex ſupra dictis

facile

facile conſtat. Nam Aribo mortuus eſt a. C. 1024. Sizzo fuit inter conditores templi cathedralis Numburgenſis circa a. 1030. et Wildewardus ab anno circiter milleſimo vsque ad a. 1029. Eccleſiae Numburgenſis fuit Epiſcopus. Vide ſupra §. 10. 11. 12. Annus 974. quo Aribo Comes cum coniuge Willa templum S. Viti erexiſſe dicuntur, alicui ſcrupulum mouere poſſet, cum coniuges, qui adhuc ſpem prolis habent, non facile ſoleant res ſuas ſacris vſibus deſtinare, ſed potius easdem poſteris ſuis retinere. Nolim autem hanc epocham temere ſollicitare, quia cauſae plures aliae nobis incognitae concurrere potuerunt, quae hanc ipſis fundationem ſuaderent.

§. 18.

Vt igitur tandem aliquando tractatione de maioribus Sizzonis colophonem imponamus, ſeriem eorum hanc eſſe ſtatuo. *Proauus* fuit Aribo, *Auus* Sizzo, prior ille, qui inter fundatores templi Numburgenſis adfuit, *Pater* Guntherus, quem teſtimonio Annaliſtae Saxonis adſtruximus. Obiiciat quis, nullum adeſſe teſtimonium, hiſtorici fide digni, qui Guntherum Sizzonis filium fuiſſe aſſerat, contra vero pugnare Narrationem Mildenfurtenſem, quae expreſſis verbis dicat, Aribonem et Ziſce ſiue Sizzonem ſine haeredibus maſculis obiiſſe. De teſtimonio hiſtorici nemo me vrgebit, quum, vt iam dixi res illorum temporum valde ſint obſcurae. Ad negationem vero Narrationis Mildenfurtenſis facillima in promtu eſt reſponſio. Auctor illius narrationis hoc ſibi praecipue negotium datum eſſe credidit, vt Ruthenorum potiſſimum Comitum propaginem exhiberet, qui ex filia Sizzonis deſcendunt. De reliquis

non admodum fuit ſollicitus, imo forte ex inaduertentia negauit, quod negare non debebat. Habeo ſane rationes non prorſus contemnendas, quod ab eius traditione recedam. Priorem ſuppeditant inſignia, quae Sizzo noſter eiusque poſteri cum auo habuerunt communia, ac proinde non improbabile eſt, illos ab hoc deſcendere. Alteram a nomine peto, quod nepos ab auo nactus eſt, cuius rei exempla quam plurima proſtant. Haec eſt coniectura, quae non omnino nullum in hiſtoria fundamentum habet. Quod ſi vero quis ſcriptorem aliquem antiquum proferat, qui alia et certiora nos doceat, tum ſane illius auctoritati lubens concedam.

RELIQVA DE SIZZONE.

§. 19.

De Titulis ipſius.

Supereſt, vt antequam huic tractationi colophonem imponimus, miſcella quaedam de ipſo addamus. Tituli illius fuere varii. Plerumque ſimpliciter *Sizzo Comes*, ſine aliquo additamento, vocatur ad a. 1114. 1120. 22. 33. 44. 47. 48. 49. 57. Bis dicitur *Comes Schwartzburgicus* ad a. 1137. 1141. Ter *Comes Keuernburgicus* a. 1141. 43. 44. Bis denique *Comes Thuringiae*, a. 1149. 60. Quae ſub ſingulis hiſce annis occurrunt, ea euoluat lector diſſertatione I. vbi vitam Sizzonis ordine chronologico enarrauimus. Nihil autem eſt quod hi tituli nos magnopere ſollicitos teneant. Nam *Schwartzburgici* et *Keuernburgici* elogium a duabus arcibus, in quibus domicilium fixerat, accepit: *Thuringici* vero, quia terrae eius in Thuringia ſitae fuerunt. Hinc

igitur

igitur facillimum iudicatu eſt, *Henr. Frid. Ottonem* in Hiſtoria monaſterii Vallis S. Georgii §. 3. quae nuper admodum in Thuringia ſacra [c]) prodiit, non leuiter erraſſe, quum ex vno Sizzone duos fecit,

c) Vide p. 467. Opus illud Thuringiae ſacrae, quod obiter monere liceat, ab editore negligenter admodum habitum eſt, qui bene fecit, quod nomen ſuum nos celauit. Vltra dimidiam partem diplomatum iam alibi impreſſam nobis denuo recoxit, et quidem habitu longe quam ante impreſſa fuerant, deteriore. Et cui bono illa Exempla diplomatum toties repetita, quae tamen integra iam adfuerant? Hoc eſt volumen conſtipare, et emtores pecunia emungere. De imaginibus nihil dicam. Repetitae ſunt Reyherianae, ſatis commendabiles, quae vero tanquam nouae adduntur, vix aſpectu dignae habendae. Io. Georgium I. Electorem, quem vel ex numis eius omnes nouimus, vix agnoſcas, niſi ſcriptura addita illud ſignificet. Quis credat in Thuringia quondam *maldras pecuniae* obtinuiſſe? Et tamen diploma Heusdorffenſe, inſigni quodam ſtupore, illas nobis exhibet. In multis documentis vix ſenſum ſanum exſculpas, quum tamen manus *Ottonis* lectu admodum facilis fuerit. Monaſteria Schameliana ab interprete, negligenter admodum ſunt habita, ſphalmatibus quoque typographicis, quae abſentia Auctoris euitare non potuit, fideliter retentis. Huc pertinet illud, quod in diplomate Salfeldenſi p. 697. Anno Archiepiſcopus Colonienſis monaſterio *bannum* (h. e. iurisdictionem) *ſuper quaelibet fulmina* conceſſit. *Flumina* debebat ponere. Vno verbo, opus tale eſt, cui *Vannum Criticam* non immerito quis adhibeat, ſi liber lectoribus non debet eſſe prorſus inutilis: de qua re fortaſſis alio tempore. Et quantillo pretio virum aliquem doctum et in hiſtoria patriae verſatum bibliopola nactus fuiſſet, qui haec omnia emendaſſet, et Germaniam noſtram a tam turpi negligentia vindicaſſet?

vnum Schwartzburgicum in cuius Comitatu monasterium Cellae Paullinae situm fuit, alterum Keuernburgicum, monasterii Vallis S. Georgii fundatorem. Verum si Auctor ille sciuisset, quaenam antiquorum Comitatuum ratio fuerit, non tam praeceps in errorem incidisset. Nam Thuringia primis temporibus ad Imperatores Romano Germanicos spectauit, qui eam in districtus aliquot diuiserunt, singulis vero Comitem praefecerunt, quae dignitas illis temporibus maior non erat, quam hodiernis temporibus est Capitaneorum Praefecturis praepositorum. d) Quod si igitur huiusmodi Comites terras haereditarias possidebant, ab illis cognomen acceperunt, vt ab aliis distinguerentur. Si vero talibus instructi non erant, simpliciter titulo Comitum vtebantur, id quod in diplomatibus vel millies occurrit, prout alibi a me pluribus ostensum est. e)

§. 20.

Sed nunc probandum est, vnum tantummodo Sizzonem tunc in Thuringia fuisse, qui simul Comes Keuernburgicus et Schwartzburgicus fuit, idque rationibus sequentibus. 1. Filii Sizzonis erant Heinricus et Guntherus, terrarum paternarum haeredes. Atqui Heinricus erat Comes Schwartzburgicus, Guntherus autem Keuernburgicus, vt testantur ipsa monumenta Vallis S. Georgii. f) Vidi quoque excerpta diplomatis 1229. dati, in quo Henricus Comes Schwartzburgicus Guntherum Comitem Keuernburgicum

d) *derer Amts-Haupt Leute.*
e) Vide quae dixi *in der Obersæchsischen Nachlese* VIII. pag. 587 sqq.
f) Dipl. in Thuringia sacra p. 480.

gicum *patrem* vocat. 2. Omnes, qui in genealogiam Schwartzburgicam paullo accuratius inquisiuerunt testantur, duas illas lineas aliquamdiu terras illas rexisse, donec, extincta Keuernburgica, Schwartzburgici illius haeredes effecti sunt. 3. Si Sizzo Keuernburgicus a Schwartzburgico diuersus esset, non potuisset indigitari elogio Comitis Thuringici, quod maxime esset ambiguum, quia vterque fuit Thuringicus.

§. 21.

An Sizzo fuerit inter Principes et Ordines Imperii Germanici.

Non tangerem hanc quaestionem, quippe cuius vestigia nulla in superioribus adfuerunt. Verum *Rühlmannus* audacter satis adserit, Comites illis temporibus fuisse Principes Imperii. Praeterea pagum Lancwizi pagum Imperialem (*Reichsgau*) vocat. Vtrumque sine ratione aut vestigiis historicorum illis temporibus viuentium, et aliorum documentorum. De Comitibus non repetimus quae modo dicta sunt. Pagorum ratio hodiernis temporibus non potest esse incognita. Nimirum diuisio terrarum in pagos non a summis imperantibus originem habuit, sed ab ipsis nationibus priscis, quae antequam ab Imperatoribus Germanicis subiugarentur, suo iure et in naturali quadam libertate viuebant et terras suas in varios districtus, vt scilicet eas dignoscere possent, diuiserant. Tale quid a Germanis, Belgis et Sorabis praecipue factum esse obseruamus. Imperatores autem et alii principes diuisionem hanc retinuerunt, vel certe eandem tolerarunt, ne scilicet populi rudiores a variata regionum denominatione in varios errores inducerentur.

rentur. Ipſi vero Imperatores alicubi Ducatus, alicubi Comitatus conſtituerunt; in noſtris regionibus acceſſit etiam diuiſio terrarum in Burgwardia, de quibus alibi copioſius dictum eſt. Ex his autem conſtat, non dari vſquam pagos Imperii, neque illum, qui huiusmodi pago ab Imperatore praefectus eſt, propterea characterem ordinum Imperii accepiſſe. Haec cum dicimus, ad antiquiſſima tempora reſpicimus, nam quae poſtea acceſſerunt, ea ſua luce radiant, et ex his noſtris temporibus diiudicari non debent.

§. 22.

De gloria Sizzonis bellica.

Idem Rühlmannus Sectionem de fortitudine Sizzonis promiſerat, cuius haec ſunt lemmata: 1. Sizzo laudem herois bellici acquiſiuit. 2. In quibus bellis id contigerit? 3. An etiam exercitum copioſum oſtendere potuerit? Non nego Sizzonem animo et corpore fortem fuiſſe, ſed hoc nego et pernego, in ſcriptoribus ac monumentis hucuſque editis quicquam de rebus ab ipſo geſtis relatum exſtare. Quid igitur ad haec reſponderi queat, non video. Alias huiuscemodi quaeſtiones proponit Rühlmannus, vbi ſcilicet Sizzo ſepultus fuerit, an in monaſterio Georgenthalenſi, an vero in aede Cathedrali Numburgenſi? Quid hic dicemus? Silent monumenta, glorioſum igitur erit, et nos ſilere: putidum contra, quaeſtionem proponere, ad quam reſpondere nemo poſſit.

§. 23.

Vtrum Sizzo fuerit Aduocatus monaſterii Boſaugienſis?

Boſaugienſe monaſterium Cizae vrbi imminet in colle ſitum. Eius Aduocatum fuiſſe Sizzonem, adfirmat

mat Schlegelius, hac ratione adductus, [g]) quia Bertha Comes, cognata illius, monasterio bona multa exhibuerit: Verum haec argumentatio nimis est infirma. Certissimum contra est, Conradum Magnum, Misniae Marchionem, eiusque posteros Aduocatiam laudati monasterii tenuisse, id quod monumentis editis comprobari potest. [h])

§. 24.

Addenda.

Antequam toti huic tractationi colophonem imponamus, pauca quaedam monere liceat, quae superioribus addi queant.

I. Vnam filiam Sizzonis memorauimus, altera quoque supplenda est, *Iuliana*, quae in Relatione Mildenfurtensi Segehardi Comitis Schwartzburgici filia dicitur, et nupsit Henrico II. Aduocato Widano, cognomine Probo, (*der fromme Voigt*) Hunc autem Henricum tabulae genealogicae Ill. Comitis Henrici XIII. vocant Comitem in Osteroda, Schwartzenberg et Gleisberg.

II. Vbi mortem Sizzonis breuibus tango, nulla Epitaphii illius mentio fit. Atqui vero paullo post editor Thuringiae sacrae Epitaphium illius depictum nobis exhibet. Regero, statuam illius, quae in templo Cathedrali Numburgensi conspicitur, repetiit, Epitaphium vero illius huc vsque nondum a quaquam prolatum est. Transeat hoc igitur cum caeteris erroribus.

§. 25.

g) *Schlegelius* de nummis Cygneis p. 148.

h) Dipl. apud *Schumelium* Suppl. ad hist. mon. Bosaugiensis p. 16.

§. 25.

Et haec quidem de Sizzone sufficiant, quae non sine multo labore ac studio ex variis auctoribus congesta sunt. Progressus sum in his, quantum vires concedunt, et monumenta literarum ex tanto naufragio nobis aperiunt. Quod si quaedam quae adhuc abscondita latent, in publicum prodierint, tum sane certiora de his quoque proferentur.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

VIII.

Historia Terrae Plisnensis.

§. 1.

Occasio scriptionis.

Quum de Burggrauiis Altenburgensibus agerem, terrae Plisnensis semel atque iterum iniicienda fuit mentio. Placuit hinc amicis, me admonere, vt, quid de terra Plisnensi statuendum sit, e monumentis antiquis euoluerem. Nolui detrectare hanc prouinciam, a nemine huc vsque occupatam, vt historiae patriae hac quoque in parte lucem aliquam accenderem. Non equidem desunt nobis scriptores, qui tres terrae Plisnensis vrbes primarias opera sua illustrare conati sint, sed tali conatu, qui vires admodum languidas ostendat. Laurentius Wilhelmi et Tobias Schmidius vrbis *Cygneae* historiam descripserunt, sed aliena multa, et nonnunquam prorsus inutilia, admiscent, idque partim seculi, quo viuebant, infelicitate, partim, quia ductores coecos secuti

cuti sunt, in arte Critica et Historica parum valentes. *Altenburgi altitudinem*, titulo satis ridiculo, extollere conatus est Io. Vulpius, scriptor omnium maxime proletarius, qui parum sani adfert, nisi vbi alios melioris commatis exscribit. Haud ita pridem *Chemnicense Chronicon* dedit Anonymus quidam, sed satis ieiunum, si tempora praecipue antiquiora spectemus. [a]) Certe haec vrbs, tam felici seculo, et subsidiis luculentis abundante, melius illustrari poterat. Vix vnum atque alterum diploma profert, reliqua, de antiquitate potissimum loquor, rem non exhauriunt. Igitur quae ab his quatuoruiris omissa sunt, supplere conabor, quantum vires concedent. Faxit Deus, vt res ex animi sententia procedat.

§. 2.

De pago Plisnensi.

Prima terrae Plisnensis mentio repetenda a pago Plisni, qui cum vrbe cognomine (nam vrbs, quae hodie Altenburgum vocatur, olim *Plisni* [b]) dicta est) a fluuio Plisna nomen sortitus est. Situm eius iam ante aliquot annos delineaui, quum Geographiam veterum Soraborum inuestigarem, [c]) nimirum tractus fuit, vbi hodie Altenburgum, Smolna et Roethauia conspiciuntur. His iam quod addam, nihil habeo,

a) Plura et meliora postea praestitit Clariss. *Ad. Dan. Richterus* tum variis minoribus de historia Chemnicensi scriptis, tum maxime Chronico Chemnicensi, nondum tamen ad finem perducto. *Editor.*

b) Arnoldus Lubecensis VII. 18. *Sequenti anno indicta est curia in Aldenburg, quae alio nomine Plisne nuncupatur.*

c) *Ober-Saechsische Nachlese* III. p. 394. 395.

habeo, praeter illud, quod de Btunone Comite in pago Pliſnenſi non ſatis accurate a me expreſſum fuit. Fuit nimirum a. 1127. Bruno Comes, qui monaſterium Smolnenſe fundauit, quod poſtea Portam translatum eſt. Is tertiam partem huius pagi poſſediſſe in diplomate non vno dicitur. Hunc igitur Comitem Pliſnenſem, alios hac in parte ſecutus, vocaui, non ſatis accurate. Comes quidem erat in terra Pliſnenſi, ſed non Comes Pliſnenſis. Nimirum duplex illo tempore in noſtris regionibus erat Comitum genus: alii munere, alii natiuitate tales erant. [d]) Qui munere Comites erant, illi ab Imperatore, Domino huius terrae ſupremo, praefecti alicuius diſtrictus conſtituti erant, qui a ſubditis tributa exigerent, eosque ab inſultu hoſtium defenderent. Hos Imperator pro lubitu conſtituere et remouere poterat, nam illa dignitas tunc nondum erat haereditaria. Alterum genus Comitum erant natiuitate tales, priorum ſcilicet Comitum filii, qui agros nouales colebant, et homines proprios ſibi variis titulis comparabant. Vt rem exemplo illuſtrem, Comites Ruppinenſes olim in Marchia Brandeburgenſi ſiti erant, ſed tamen dici non poterant Comites Marchiae aut Marchiaci.

§. 3.

Poſtquam igitur Imperatores Germanici dominium harum terrarum aliquamdiu poſſederant, illud in

d) Singularem de Comitibus terrae Pliſnenſis commentationem debemus, erudito cuidam antiquitatum patriae inueſtigatori M. I. F. R. quae legitur, *in Kreyſigs Beytraegen zur Hiſtorie der Chur vnd Fürſtl. Saechſ. Lande* P. II. p. 10-19. *Editor.*

in Wipertum, Comitem Groicensem, heroëm sui temporis imperterritum, transtulit videntur. Videntur, inquam: nam timide hoc affirmo. Deest enim testimonium scriptoris fide digni. Interim hoc tradit Schmidius, Cygneam Wiperto dono datam fuisse, [e]) idque testibus annalibus et historiis, quae nobis hodie ignotae sunt: id quod ab Henrico IV. factum esse oportuit. Testantur alii, Henrico V. quum in Poloniam et Silesiam cum exercitu irrupisset, Wipertum cum Chemnicensibus et Zuiccauiensibus praesto fuisse. [f]) Et adsunt vestigia sequentium temporum, quae docent, Wipertum vtique terrae Plisnensis dominum fuisse, quaeque suo tempore et loco indigitare non omittemus.

§. 4.

Prima vrbis Zuiccauiensis mentio certissima, quantum huc vsque constat, fit in diplomate anni 1118. Quae enim ad a. 1042. et 1074. diplomata profert Tobias Schmidius, prima statim facie cuiuis harum rerum gnaro fraudes impostoris stolidi exhibent, et nos iam non morabuntur. Talia quippe singularem tractationem requirunt, non sane admodum difficilem, sed quae breuitati nostrae non conuenit. Anno igitur memorato 1118. Bertha illustris Comitissa, Wiperti Groicensis filia, Dedonis, qui Conradi Magni frater fuit, vxor, in territorio suo Zcwikaw ecclesiam parochialem in honorem b. Mariae conditam dotauit, et a Theoderico Episcopo Numbur-

e) Schmidii Chron. Cygneum I. 4. p. 19.

f) Spangenbergii Chron. Saxon. c. 211. p. 347. ex eoque Schmidius et Anonymus Chemnicensis.

Numburgensi consecrari voluit. [g]) Inde non sine caussa coniicit Celeb. Schwarzius, Cygneam Wiperti quoque Groicensis fuisse. Sed quo iure ad ipsum peruenerit, item qua conditione tunc fuerit, nam ne vrbis quidem nomine venit, huc vsque nondum liquet. Circa a. 1125. vel 1136. Lotharius Imp. monasterium Chemnicense exstruxit, id quod ipsum docet, eum tunc temporis dominum illius vrbis immediatum fuisse, sicut et sequentia illud luculentius docebunt. [h]) Dolendum est, literas fundationis vel periisse, vel adhuc alicubi delitescere, quae fortasse plura nos edoceant.

§. 5.

Possessiones Rabodonis Comitis.

Post ea tempora Rabodo quidam Comes has terras, vel certe portionem earum non exiguam, possedisse legitur apud Arnoldum Lubecensem, Helmoldi Continuatorem, quem modo excitauimus. Verba eius sunt haec: *Sequenti anno* (1209.) *indicta est curia in* Altenburg, *quae alio nomine* Plisne *nuncupatur, vbi etiam ingens patrimonium Imperator possedit Comitis* Rabbodonis, *cum castro* Leisnick *et* Colditz, *quod* Fridericus *Imperator quingentis marcis a Comite memorato comparauit.* Quis ille Rabodo sit, non difficile iam est explicatu, postquam otia nobis

g) Dipl. apud Schlegelium de numis Gothanis p. 147. Schwarzium Mantissa p. 1008. Schamelium de monasterio S. Mauritii p. 5. et in Thuringia sacra p. 626.

h) Monachus Pirnensis p. 1572. Anon. *Historische Nachricht von Chemnitz* p. 54. Dan. Mülleri progr. de Lothario Imp. Chemnitii auctore et de monasterio nunc arce Chemnicensi.

nobis hac in parte fecit Cel. Schwarzius. [i]) Nimirum oriundus fuit ex Comitibus Auensbergensibus in Baioaria, quorum Genealogiam texuerunt Io. Auentinus in Epitome Germanica Chronici Bauarici, et Wiguleus Hundius in Stemmate Bauarico. Vixit a. 1160. et tanquam *Aduocatus burgi Bambergensis* memoratur in diplomate Friderici I. Imperatoris: [k]) idem et Fridericus filius a. 1168. testes fuerunt, cum idem Imperator iura Episcopatus Wirzburgensis confirmaret. [l]) Vxor eius fuit Machtildis, filia Dedonis Marchionis Misnensis ex Bertha, Wiperti Groicensis filia. [m]) Prostant etiam litterae, a. 1157. datae, in quibus Fridericus Imperator fatetur, se a Comite Rabodone bona quaedam, *tum per* paternam haereditatem, tum per pecuniam non paruam comparasse: nimirum *castrum* Litznech *cum beneficio* Henrici Burggrauii, et cum omnibus reditibus sibi *pertinentibus: castrum* Coliditz *et Themonem ministerialem* cum liberis suis et cum omnibus praediis et beneficiis suis, quorum summa XX -- villis consistit: *munitionem quoque* Luzeche *et forum cum ceteris reditibus attinentibus: curtem* Zolen (legendum est, Zcolen) cum foro et ceteris redditibus ad illum pertinentibus: *montem* Glizberg, *et redditus ad illum perti-*

i) Schwarzius annot. ad Petri Albini Geneal. Comitum Leisnicensium, Tom. III. Menckenii p. 869.

k) Dipl. apud Schwarzium Mantissa p. 1022.

l) Dipl apud Leuckfeldium Antiqu. Poeldensibus p. 257. et Frisium Chron. Wirzburgensi p. 519.

m) Appendix Chronici Montis Sereni p. 309. *Dedo filius Thimonis, duxit vxorem Bertham filiam Wiperti de Groiz, genuitque ex ea filiam nomine Machtildem, quæ nupsit Com. Rabodoni, Bamb. Aduocato.*

pertinentes: montem Gonzege; *caſtrum* Moringen *cum redditibus ſibi attinentibus.* Haec omnia, quae Imperator a Rabodone Comite partim permutatione, partim emtione acceperat, facta ſunt *allodia Imperatoris*, vt ipſe in diplomate fatetur. Quia vero idem Imperator Henrico Bauariae et Saxoniae Duci, nepoti ſuo, bona quaedam Imperii, ſed ipſi Henrico viciniora et magis commoda, tradiderat, neceſſe erat, vt, quia Imperatoriae Maieſtatis eſt, rempublicam ſemper augere, et nunquam minuere, Imperio alia quaedam in proprietatem et ius conferret. n) Hinc igitur bona illa, quae huc vſque allodialia fuerunt, ad Imperium peruenerunt. Tobias Schmidius in Annalibus Cygneis ad a. 1209. addit Rabodonem Comitem pro iis, quae Imperatori vendiderat, quingentas marcas argenti accepiſſe. Quod ſi haec cum illis, quae modo §. 4. adfuerunt, coniungantur, non difficile coniectu eſt, Wipertum laudatum integrae fere terrae Pliſnenſis dominum fuiſſe. Saltem hoc certum eſt, hiſtoriarum monumenta huc vsque proſtantia nullum alium nobis indigitare.

§. 6.

A. 1172. Fridericus I. Imp. in monte prope *Aldenburc*, *Ciuitatem Imperii*, Oratorium ſiue coenobium manachorum ordinis S. Auguſtini conſtruxit, eique quatuor manſos illi adiacentes, et allodium ſeptem manſorum, quod *Crebeſchowe* dicitur, in meram et liberam proprietatem *dotis nomine* contulit. Ad hanc rem vſus eſt conſilio et prouidentia fidelium

n) Dipl. apud Brückmannum Epiſtola itineraria 34. et Anton. Vlricum Erath *Hiſt. Nachricht von den Braunſchweig-Lüneburgiſchen Erbtheilungen* p. 131.

fidelium suorum, Hugonis de Warthe, *Iudicis terrae Plisnensis*, et Rudolffi de Aldenburc, Marschalci sui, vt habent verba diplomatis tum Imperatoris, tum Vtonis Episcopi Numburgensis, quae presso pede sequimur. Praecipit quoque Imperator, *ne Iudex, Scultetus, Forestarius, Bodellus, vel quisquam officialium terrae Plisnensis, tam ipsum* monasterium, *quam suos vel sua in quoquam molestare praesumat.* o) Tria hic notatu digna occurrunt. Primum quod *terrae Plisnensis* nomen hic primum legatur, nec ante illud tempus occurrat. Alterum est, quo illa terra peculiarem suam formulam ab Imperatore nacta est, id quod docent nomina officiorum *Iudex, Scultetus, Forestarius, Bodellus.* Tertium, quod Altenburgum *Ciuitas Imperii* vocatur.

§. 7.

Ab illo tempore Fridericus Imp. Altenburgi saepius moratus est, vbi varia quoque diplomata sunt edita, quae vero, quia ad praesens negotium nihil faciunt, adducere superuacaneum est. A. 1192. Henricus VI. Imperator, Ecclesiam in Zwickowe cum duobus mansis et decimatione, teloneo, quinquaginta scobronibus et XII. curtilibus, quae monasterio Bosaugiensi ab aliquo tempore iniuste ablata fuerant, eidem restituit. p) Obseruamus hic, templum parochiale Zuickauiense, quod a. 1118. Ber-

o) Dipl. apud Schwarzium Mantissa p. 1067. Liebens *Nachlese zu Heinrichs des Erlauchten Historie* p. 12. Estors *kleine Schrifften*, X. *Theil*, p. 368.

p) Diplom. apud Paul. Langium Chron. Citicensi p. 790. Schlegelium de numis Gothanis p. 150. *Leuckfeld vom Kloster Bosau* p. 19.

tha monasterio Bosaugiensi tradiderat, eidem ereptum ab Imperatore restitui, quod argumento est, iura in hoc templum a Bertha ad filiam eiusque coniugem Rabodonem, ab hoc vero ad Imperatorem peruenisse.

§. 8.

A. 1200. Philippus Imperator monasterio Altenburgensi ecclesiàm in *Trebene* cum dote et omnibus appendiciis donauit. Sic habetur in authentico, quod αὐτόπτης Liebius oculis vsurpauit. In altero vero exemplo, quod Albertus Burggrauius Altenburgensis, et Iudex terrae Plisnensis a. 1279. transsumi iussit, inseritur *molendinum, quod est in piscina nostra prope Aldenburc, insuper et parochias in Minowe* et *Trebene.* q) Huiusmodi fraudes diplomaticae, quando scilicet varia in exemplis repetitis vel transsumtis inserta fuerunt, contra mentem primi donantis, medio aeuo non fuerunt rarae, et ex tali deprauatione litem *de titulo Comitis Palatini Saxoniae in literis Henrici Illustris*, quae inter Viros Summos huc vsque intercesserat, feliciter sopiri posse credo, si haec res praesentis loci esset aut temporis. r) Interim ex hac deprauatione et fraude hoc lucramur, quod non villam solum *Trebene* sed et *Minowe* in terra Plisnensi sitam fuisse deprehendimus.

§. 9.

A. 1209. Comitia celebrata sunt Altenburgi ab Ottone IV. de quibus rursus audiemus Arnoldum Lubecen-

q) Excerpta dipl. *in Liebens Nachlese*, p. 42.

r) v. singularem Auctoris hac de re dissertationem, quam nunc primum ex eius autographo protulimus. *Editor.*

Lubecensem: *Sequenti anno indicta est curia in Aldenburg. - - - Illuc conuenerunt Mysnenses et Cisnenses*, (legendum *Plisnenses*) *Poloni quoque Boiemi et Vngari; ibique multis negotiis determinatis et pace iurata, quæ in omnibus curiis præcedentibus firmata est, dominus Rex faciem suam conuertit Brunswich, vbi festum Pentecosten solenniter celebrauit.* Nolo hic alios historiarum scriptores euoluere: nam quae in his comitiis gesta sunt, ad historiam quidem Imperii Germanici, et vrbis etiam Altenburgensis, non autem terrae Plisnensis, pertinent. Anno sequenti 1210. Henricus de Colditz Iudex fuit terrae Plisnensis, quod obseruauit Celeberrimum quondam Altorfii Decus, C. Gottl. Schwarzius, s) procul omni dubio ex diplomate nondum edito: nam is non facile sine teste aliquid proferre solet.

§. 10.

A. 1212. Engelhardus Episcopus Numburgensis vna cum aliis viris honestis transactionem sequentem inter Theodericum Marchionem Misnensem, et monasterium Bosaugiense concluserunt. Nimirum Marchio monasterio iam a longo tempore de possessione templi parochialis et oppidi Zuiccauiensis, nec non villae proximae, quae *Vallis S. Mariae* dicitur, quaestionem mouerat. Vt igitur lis tandem finiretur, Abbas ei ex toto renunciauit, Zuiccauiam oppidum et templum, cum villa modo dicta et ecclesia in *Ostirweine*, Marchioni permisit, hic autem Abbati et monasterio quingentas marcas persoluit. Quo facto Marchio templum parochiale monialibus in Tri-

Q 4 ptis,

s) Schwarzius annot. ad Mantissam p. 1081.

ptis, paupertate valde pressis, contulit. [t]) Hoc documentum docet, Zuiccauiam siue Cygneam illis temporibus oppidum non magni momenti fuisse, quia primum a monasterio possessa, deinde cum duabus villis exiguo admodum pretio quingentarum marcarum fuit vendita.

Eodem anno transactum est inter Ottonem Imp. et Theodericum Marchionem Misnensem, quae res ad nos proprie non pertinet. Nomina vero eorum, qui nomine Caesaris iurarunt, proferenda sunt, quae docebunt, quosnam Vasallos s. clientes Imperator in terra Plisnensi tunc habuerit. Iurarunt autem H. Comes Palatinus Rheni, Albertus de Arnistein, Gerhardus Burggrauius de Liznic, Albertus Burggrauius de Aldenburg, Guntzel Dapifer, Henricus de Colditz, Henricus de Wida, Henricus de Drakinvels, Henricus de Crematzowe, Hermannus de Schoneberg. [u]) A. 1214. Fridericus II. Imp. monasterio Bosauiensi concessit, vt ex silua iuxta Altenburgum, quae *forestum Camerae* dicebatur, singulis hebdomadibus duos currus lignorum deducerent: [x]) et a. 1216. eidem monasterio ius patronatus ecclesiae in *Criwitz*, cum omni dote, mancipiis et vniuersis iustitiis concessit. [y]) A. 1219. Theodericus Marchio Misnen-

t) Dipl. apud Gschwendium in Memorabilibus Eisenbergensibus c. 3. sect. 2. §. 8. Gotters *Nachricht vom Eisenbergischen Nonnen-Kloster*, p. 18.

u) Dipl. in Maderi Antiqu. Brunsuic. p. 128. et Schwarzii Mantissa p. 1031.

x) y) Dipl. apud Langium Chron. Citic. p. 798. 799. Leuckfeldium Chronol. Abbatum Bosaugiensium p. 20. 21.

Misnensis consilium de transferendo monasterio Zuiccauiensi mutauit, et bona illius monasterio Eisenbergensi tum recens condito concessit. Porro eidem tradidit sedecim areas in Zwiccowe, quibus dotatae erant ecclesiae S. Mariae et S. Catharinae: in suburbiis areas et salictum, vbi primum congregatio habuit residentiam: praedium quoque soluens singulis annis dimidiam marcam, quod tenetur iure Francorum. [z])

§. 11.

A. 1222. Engelhardus Episcopus Numburgensis et Henricus de Crimaschowe iudices generales terrae Plisnensis erant, a Friderico II. Imp. constituti. Henricus vero monasterium Canonicorum in vrbe sua fundauit, eique Ecclesiam S. Laurentii in ciuitate *Crimaschowe*, Ecclesiam S. Martini inter ciuitatem et villam, cum filiabus suis, videlicet Capella in castro, et ecclesia in villa *Beringersdorf*, loco dotis concessit. [a]) Quia igitur ad donationem in vrbe Crimmitschau consensus Iudicum Imperialium terrae Plisnensis requisitus fuit, recte concludimus, eam vrbem cum districtu Dominorum de Crimaschowe ad terram Plisnensem pertinuisse. Testes quoque subiecti nomina quaedam Vasallorum terrae Plisnensis aperient: Albertus Praefectus de Altenburg, Heinricus de Vlugelsberg, Gerhardus de Lapide, Heinricus de Wildenvels, Heinricus de Milin, Romarus, Hugo de Criwzc, Conradus de Circhove, Iohannes de Lom.

z) Dipl. in Gotha diplom. V. p. 192. apud Gschwendium l. c. sect. 3. §. 7. Hornium Henrico III. p. 331. Gotter l. c. p. 20. 42.

a) Dipl. *in der Ober-Saechsischen Nachlese* X. p. 196.

§. 12.

A. 1223. iidem Iudices generales terrae Plisnensis memorantur. [b]) Eodem vero anno Guntherus de Crimascowe, filius Henrici, solus hanc dignitatem ab Imperatore obtinuit, excluso Engelhardo, cuius tamen in primis illius literis, quarum iam mentio facienda est, nomen occurrit. Is vero Iudex in gratiam Praepositi monasterii Altenburgensis testatur, decimam piscium piscinae superioris ad monasterium pertinere, item posse ipsum quotidie vnam vehem (carratam) ligni de lignis mortuis ex silua *Lina* educere. [c]) Quae ad a. 1229. spectant, ea, quia iam in Dissert. de Burggrauiis Altenburgensibus §. 4. adducta sunt, taediose iam repetere nolo. A. 1236. Albertus Dapifer de Burnis talentum numorum in moneta Altenburgensi, quod a se Cunradus de Heidenrichsdorf in feudo habuit, et quo ipse a Burggrauio Altenburgensi infeudatus fuerat, eidem Burggrauio in gratiam monasterii Altenburgensis resignauit, rogans vt idem illud monasterio velit elargiri. [d])

§. 13.

A. 1244. Guntherus de Crimaschowe adhuc dignitatem Iudicis generalis obtinuit, qui monasterio beatae Mariae in Altenburg designationem mansorum censualium et decimalium, quos ecclesia illa huc vsque possederat, scripto consignatam dedit. Ea igitur loca ad terram Plisnensem spectantia inde excerpemus, cum possessoribus eorundem, qui numerum vasallorum auctiorem facient. Sic igitur habent verba

b) Dipl. in Gotha diplomatica V. p. 196.
c) Dipl. *in Liebens Nachlese* p. 16.
d) Dipl. apud Schwarzium Mantissa p. 1032.

verba diplomatis, [e]) quod quum non satis accurate descriptum sit, meliorem interdum lectionem reponemus: *Tres mansi* in Stenuwicz, *nunc* Alberti *militis* de Kallenberc, quorum feodale dominium a Patre nostro in nos deriuatum est. Quatuor mansi in Rothin, nunc Heckehardi cognomine Scerphink, quos a Ludouico Stangone in feudum habet. Tres mansi ciuitati Altenburg adiacentes, nunc Merbothonis de Könyz, quos ab illis de Scedelicz in feudo habet. In villa Heydenrichsdorf allodium habens in agris quartale minus quam duo feoda, quod nunc Thuringus miles ab Hugo de Waldenburc in feodo habet. Quatuor mansi inter Glumiz et Steymoitz (hoc nomen in mendo cubare videtur, et legendum *Steynewitz*,) quondam Heidenrici Fleming, ciuis in Aldenburc, sunt nunc domus Theutonicae. Tres mansi ciuitati Altenburc adiacentes, quos Heidenricus dictus Puellae in mera proprietate possidet. Duo mansi ciuitati Altenburg adiacentes, quos nunc Heinricus dictus Luceman a Rudolfo de Brande in feodo habet. In villa Priwil allodium quatuor mansorum, quod nunc Witholdus ab Hugone de Staleburc in feodo habet. In villa Rodesii allodium quatuor mansorum, quod nunc Hermannus a praefato Hugone de Stalburch in feodo habet. Tres mansi in villa Zcescowe superiori, quos nunc Iohannes ab Hugone de Wolckenburc in feodo habet. Tres mansi in Luben minori, quos nunc Heinricus de Kurin *ab* Hugone de Stalberc *habet in feodo.* Testium quoque nomina adiungere decet, qui fuerunt Thymo de Schellenburg, Sifridus de Herinb, (forte Herinc) Cunra-

e) Dipl. in Gotha diplomatica V. p. 196.

Cunradus de Circhowe, Helwicus de Knewe, Fridericus de Minowe, Gerhardus de Monte.

§. 14.

A. 1248. Volradus de Colditz Iudex generalis a laudato saepius Schwarzio memoratur, vltimus eorum Iudicum, qui ab Imperatore constituti sunt. Nam post illa tempora Marchiones Misnenses terram Plisnensem ab Imperatore acceperunt. Iam a. 1253. Henricus Illustris Praepositum et Conuentum Canonicorum Regularium in Aldinburg in suam protectionem et gratiam specialem recepit. f) Rationem eius rei ipse exponit in diplomate anni 1256. in quo se quoque Dominum terrae Plisnensis scribit, his verbis: *Cum per gloriosum Dominum nostrum Fridericum Romanorum Imperatorem in obstagio decem millium marcarum argenti ratione sponsalitii filiae suae Margaretae filio nostro Alberto desponsatae, adepti sumus Dominium Plisnensis terrae, ipsam terram gubernare, et quoslibet in ea degentes, secundum quod nobis iniunctum est, etiam suo iure volumus conseruare.* In his autem literis monasterio Altenburgensi iudicium vitae et mortis, quod per omnes proprietates suas ab initio fundationis habuit, nec non vehem lignorum de *Lina* silua denuo confirmauit. g) Ex toto vero historiae nostrae filo patet, epocham huius diplomatis a. Hornio non fuisse sollicitandam, quia Henricus a. 1246. dominium terrae Plisnensis nondum nactus fuerat. Eodem a. 1256. Henricus Illustris priuilegia

f) Dipl. *in Liebens Nachlese* p. 30.

g) Dipl. in Gotha diplom. V. p. 198. et Hornii Henrico Illustri p. 306.

gia ciuitatis Altenburgensis confirmauit, titulo autem Domini terrae Plisnensis vti noluit. [h])

§. 15.

A. 1262. Henricus Abbas Gosecensis Praeposito et conuentui Altenburgensi, septem mansos, qui vulgariter *Len* dicuntur, in villa *Lichelberg* possidendos tradidit. [i]) An. 1263. Salomon Praepositus monasterii modo dicti confirmat duas marcas argenti singulis annis soluendas in moneta Aldenburg, accedente consensu Domini Alberti, *Principis terrae*, cuius dominio dicta moneta pertinuit, quas Vlricus Plebanus in Essenuelt, monasterio dicto legauerat. [k]) Eodem anno et die, Albertus Thuringorum Landgrauius et Saxoniae Comes Palatinus, (titulus terrae Plisnensis hic non comparet) testatur, quod Thimo de Liznik miles eidem monasterio duas marcas redituum annualium in moneta Aldenburgensi in proprium dedit, *quos reditus*, verba sunt diplomatis, *idem Dominus Thimo in eadem moneta habuerat ab Imperio ex antiquo.* Testes sunt Gerhardus Plebanus de Burnis, Mathias Plebanus de Scirniz, Iohannes miles de Remse, Fridericus miles de Minsowe, Gerhardus miles dictus Puscheman, Henricus miles de Studeschen, Heinricus Monetarius Aldenburgensis, Fridericus de Penic, Theodericus Gladiator. [l])

§. 16.

h) Dipl. *in Liebens Nachlese* p. 32.
i) Dipl. apud Vulpium in Ludouico Desiliente p. 12. Schamelium *vom Kloster Goseck* p. 76. et in Thuringia sacra p. 622.
k) Exc. dipl. apud Schlegelium de numis Altenburg. p. 7.
l) Exc. ibidem. Dipl. integrum habet Schwarzius p. 1032.

§. 16.

A. 1269. Albertus miles de Gerstinberch quatuor mansos in villa *Drenowe* et pago eius sitos Conuentui Altenburgensi vendidit, id quod confirmat Albertus Thuringiae Landgrauius, sigilla appenderunt Albertus Burggrauius Altenburgensis, Siffridus de Ehrenberch, Otto de Gerstenberch. Testes sunt Guntherus, Henricus Iungo et Thimo fratres de Crimascowe, Cunradus de Cygelheim, Heinricus de Cozitz, Henricus de Studenscen, Iohannes de Remsse, Henricus de Trebenshain, Heinricus et Eberhardus fratres de Gerstenberch milites, Theodericus List, Siffridus de Ozze, Volradus de Gerstenberch, Hermannus de Reddeuicz. [m]) A. 1273. idem Albertus eidem monasterio confirmat talentum de telonio Altenburgensi, quod Volradus miles de Gerstenberc a Landgrauio feodali conditione receperat. Testes sunt Iohannes de Syden, Sifridus de Hophegarten, Albertus de Lydelo, Henricus de Koschizt, Henricus de Studenchen. [n])

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

IX.

Analecta quaedam Portensia.

§. 1.

Porta, quae olim monasterium fuit ordinis Cisterciensis, hodie vero Schola prouincialis terrarum Saxonicarum, tam celebre omnibus temporibus et

m) Dipl. *in Liebens Nachlese* p. 21. 19
n) Dipl. apud Schlegelium de Cella Veteri p. 70.

et locis nomen ſortita eſt, vt nemo, vel leuiter in hiſtoriarum ſtudio tinctus, illam ignorare queat. In hiſtoria patria nomen eſt ſatis frequens, quum Chronicon eius a Iuſtino Pertuchio editum, a viris geſtorum et iurium patriorum conſultis ſaepiſſime in partes vocetur. Ibi quum per annos quinque liberaliter enutritus ſim, gratumque almae Matri animum exhibere fas exiſtimem, inde ab eo tempore, quo in patriam redux factus ſum, conſilium cepi hiſtoriae huius monaſterii et ſcholae longe luculentioris, quam huc vſque factum eſt, condendae. Nec defuiſſent ſubſidia tum ex ipſa Porta, tum ab amicis, tum quoque ex lectione hiſtorica multorum annorum, collecta. Sed interuertit omne meum ſtudium labor duplex Io. Martini Schamelii, Paſtoris Numburgenſis, qui primo Chronicon Pertuchii vernaculum, poſt Latinum edidit, acceſſionibus quibusdam auctum, ſed non ita comparatum, vt hodierno aeuo, rerum hiſtoricarum cupidiſſimo, ſufficiat. Multa enim in Pertuchio manu Critica egent, multa ſuppleri debebant, notitia Praeceptorum auctior tradi, et Catalogus diſcipulorum cum fatis eorum addi poterat. Paullo poſt Compilatores Thuringiae ſacrae Pertuchium ſuo quoque volumini inſeruerunt: ſic, vt intra paucos annos, tres eiusdem libri editiones prodierint, neque tamen expectationi virorum doctorum ſatisfactum ſit.

§. 2.

Poſtquam igitur mutandum fuit conſilium meum, Analecta quaedam dare placet, quibus, ſi Deo placebit, alia futuro tempore addam. His Portenſis monaſterii hiſtoria, antiqua praecipue, vel illuſtrabitur, vel augebitur.

I. Primi

I. Primi conditoris nomen in nullo alio monumento huc vſque obſeruatum eſt, praeterquam in hiſtoria monaſterii Smolnenſis, quod poſtea Portam translatum eſt. Rem narrat Pertuchius carmine a ſe compoſito, melius vero feciſſet, ſi ipſa verba narrationis antiquae manu exaratae protuliſſet. Meliorem itaque gratiam iniit, prolatis verſibus leoninis et barbaris, quippe qui varia nos docent, quae alibi non inuenias. Initium horum verſuum, qui de filio Brunonis fundatoris agunt, paucis nunc illuſtrabo. Verſus ſunt:

Filius huic (Brunoni) *Oetwein, quem poſt necat vnus Eberſchwein,*
Quem dum venatur, ruit; hic ſecat, ille necatur.

Conſtans nimirum apud Portenſes eſt narratio, inde ab antiquis temporibus per manus tradita, ab apro pudenda Oetwini exſecta fuiſſe, quod monachi breuibus verbis indicarunt, hiſtorici vero tantum monuerunt, ipſum in venatione periiſſe.

§. 3.

II. Adalbertum, primum Abbatem, noſtri narrant quindecies Romam petiiſſe, vt res monaſterii ſui recte curaret: [a]) quod ipſum quo iure negare ſuſtineat Angelus Manrique, Hiſpanus, et a nobis tam longe remotus, [b]) non facile dixerim. Meliora de illo docet Menologium Ciſtercienſe, cuius verba adſcribimus: [c]) *In Germania B. Pater Albertus, primus*

a) Paul. Langius Chron. Citicenſi p. 788. Monachus Pirnenſis p. 1452.
b) Manrique Annales ord. Ciſtercienſis ad a. 1132. c. 10. p. 247.
c) Chryſoſt. Henriquez Menologium Ciſtercienſe 30. Dec. p. 434.

primus Abbas monasterii Portensis, vir monasticarum traditionum obseruator acerrimus, et gregis sibi commissi vigilantissimus custos, qui nec laboribus, nec difficultatibus fractus, non solum verbo et exemplo sanctam illam Congregationem promouit, sed Pontificia etiam auctoritate *communiri curauit.* Possem plura eius itinera memorare, quum testis subinde citetur in diplomatis, sic, vt etiam aulas Imperatorum secutus esse legatur: sed hoc iam non ago. Vltima eius, quantum huc vsque constat, mentio fit a. 1151.[d]) sequenti e viuis excessit.

§. 4.

III. Post Adeloldum Abbatem tertium excidit successor eius, a nemine, quantum constat, adhuc memoratus. Nomen ei fuit WARMVNDVS. Mentio eius fit in diplomate Theoderici Comitis Sommerseburgensis, quum a. 1190. Lipsiae villam antiquam Ranstede monasterio Vetero-Cellensi vendidisset; ibi inter testes expresse habetur: *Warmundus Abbas de Porta.* [e]). Item in alio eiusdem anni, quo Bertholdus Episcopus Numburgensis monasterio Bosaugiensi duos mansos in Cochowe appropriauit. [f]) Quum igitur Adeloldus, decessor Warmundi, vltimum a. 1185. memoretur, [g]) post illud tempus vero nulla

d) Dipl. apud Schamelium Addendis ad hist. monasterii Bosaugiensis p. 28.

e) Dipl. apud Hornium *Bericht von Landsberg* p. 34. Koenigium *in der Adels-Historie* II. p. 229. Ludewig Reliqu. IX. p. 666.

f) Exc. dipl. apud Langium Chron. Citic. p. 740. Leuckfeld. Chronol. Abbatum Bosaugiensium p. 18.

g) Dipl. apud Schamelium in hist. monasterii S. Mauritii p. 21. et in Thuringia sacra p. 652.

nulla alicuius Portensium Abbatis mentio fiat, initia huius nostri ponere difficile est. Hoc tamen clarissime patet, ea, quae a Pertuchio ad a. 1193. referuntur, ad Adeloldum minime pertinere. Ad annum vero, quem diximus, 1190. profero diploma, huc vsque ineditum, in quo Hermannus, Thuringiae Landgrauius, monachis Portensibus septem mansos, quos in villa Gerinstede comparauerant, auctoritate publica confirmauit:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Hermannus *Dei gracia Lantgravius* Thuringie *et Palatinus* Saxonie. *Justitie dictat racio, ut religiosos quosque et temporalia eorum subsidia, contra improborum violentias nostro premunire ac defensare studeamus presidio. Unde notum esse volumus cunctis fidelibus tam presentibus, quam futuris, quod fratres* Portensis *cenobii emerunt in* Gerinstede *quinque mansos pro LXXX. marcis, ab* Hermanno *Advocato de* Salecke *et ejus heredibus, ab* Manegoldo de Rode *et ejus heredibus acquisierunt ibidem unum mansum pro XII. marcis, alterum vero mansum ibidem eis pro remedio anime sue, et uxoris ejus, et filiorum, legitime contradidit, que omnia in provinciali placito et coram nobis judiciali sententia sunt confirmata. Ut autem hec omnia rata et in perpetuum inconvulsa permaneant, presentem paginam sigilli nostri impressione et ydoneorum testium subscriptione roboravimus, quorum nomina sunt hec. Comes* Fridericus *frater noster*, Henricus *Comes de* Buch, Albertus de Mellere, Cunradus *Scultetus de* Mannestede, Cunemundus de Ekkehardsberc, *cum filiis suis* Cunemundo *seniore et Marscalco* Henrico, Wolfinus de Gostelitz, Godefridus de Tutelebe, Ekkehardus *Notarius*, Albertus *Capellanus*, Gozwinus *et* Godefridus

frater

frater ejus de Wange, Albertus de Muchele, Ekkehardus de Domo, Hermannus de Tundorf, Guntherus *Dapifer. Datum anno Domini M. C. XC. indictione octava.*

Quousque Warmundus Abbas monasterio praefuerit, incertum est. Successor Winemarus primum a. 1196. in literis Vetero-Cellensibus inter testes memoratur. h)

§. 5.

IV. Animi caussa liceat narrationem addere, quam Caesarius, Heisterbacensis monachus, nugarum et fictionum parens, in monasterio Portensi, et primo illius seculo, contigisse refert his verbis: i)

Erat quidam miles in Saxonia, Ludolphus *nomine, sed tyrannus actione, hic cum die quadam vestibus nouis, atque scarlatis indutus in via equitaret; rusticum cum curru obuiam habuit, cuius cum vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerentur, ipse, vtpote miles superbus, commotus valde, extracto gladio, homini pedem amputauit: qui postea, Deo miserante, de peccatis suis dolens, in domo Ordinis nostri, quae* Porta *vocatur, factus est Monachus. Non multo post, in grauem infirmitatem incidens, cum quotidie a se mala commissa deplangeret, et maxime abscissionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti, respondit: Non potero consolari, nisi videro signa Job in corpore meo. Et ecce post dies paucos cicatricem, instar fili coccinei, contemplatus est, circa talum suum in eodem pede, et in eodem loco, vbi rustico pedem truncauerat, quae paulatim coepit computrescere, ita vt vermes de eo scaturirent.*

h) Dipl. apud Menckenium S. R. Germ. II. p. 448.
i) Caesarius Heisterbacensis Miraculorum XI. 18.

rent. Tunc repletus gaudio ait: Modo de venia ſpero, quia video ſigna Job in corpore meo. Sicque in multa cordis contritione, atque gratiarum actione, inualeſcente morbo, ſpiritum dedit. Haec mihi relata ſunt ab Abbate Liuoniae, qui filius eſt domus ſupra dictae.

§. 6.

V. A. 1195. Agnes, Abbatiſſa Quedlinburgenſis, permutationem, quam tunc barbara voce *concambium* dicebant, cum Portenſibus inſtituebat, id quod literae ſequentes docent:

In nomine ſancte et individue Trinitatis. Agnes *Dei gracia Abbatiſſa* Quitdelinborgenſis. *Ratio pietatis ammonet et juſtitia ſuadet, juſtas religioſorum peticiones admittere, preſertim eas, que ſine alicujus detrimento poſſunt impendi. Unde univerſitati fidelium modernorum et futurorum conſtare volumus, quod nos, peticionibus fratrum de* porta *annuentes, partem cujusdam ville, que* Wincendorp *dicitur, eisdem fratribus pro remedio anime noſtre per concambium commutavimus, pro reſtitucione meliorum poſſeſſionum, que* Vinne *dicuntur, que predictis poſſeſſionibus, in* Wincendorp *tribus talentis annuatim utiliores exiſtunt. Ut autem hujus concambii conſtitutio rata et in perpetuum inconvulſa perſeveret, preſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione roboravimus, et idoneorum ſubſcripcione confirmavimus teſtium. Sunt autem hii teſtes.* Adelhelmus, Rodegerus de Lewenberc, Cono de Hohem, Hermannus de Marſeleve, Fridericus Orden, Hugemarus *et frater ſuus* Johannes de Quedelinborc, Heinricus *Marſcalcus Lantgravii. Acta autem ſunt hec anno ab incarnate domini milleſimo centeſimo*

ſimo nonageſimo quinto, indictione quarta decima, quarto Idus Novembris.

§. 7.

VI. Sequitur diploma ineditum anni 1197. quod quia hiſtoriam monaſterii non parum illuſtrat, et alia ſimul, aliis profutura, continet, integrum hic inſeretur:

Ludolfus *divina favente clemencia ſancte* Magdeburgenſis *Eccleſie Archiepiſcopus*, Reimbodo *Abbas in* Monte, Ludolphus *Prepoſitus* Caldenburnenſis. *Juſtum et conveniens reputamus, ut, quod nobis et eccleſia teſte racionabiliter fuit ordinatum, robur accipiat firmitatis, et auctoritatem debeat omnimodam optinere. Proinde tam preſentibus, quam generacioni omni, que ventura eſt, intimamus, quod fratres de* Porta *XVI. manſos C. XXX. marcis emerant ab* Ermenoldo *abbate de* Gozk, *qui ſine conſenſu conventus ſui eos dicitur vendidiſſe, ſed* Sifridi Bremenſis *Archiepiſcopi et fratris ejus* Teoderici *Comitis, qui erant procuratores ipſorum, conniventia et privilegio accedente, dyoceſani vero, Epiſcopi videlicet* Halberſtadenſis, *avtentico incaute neglecto. Unde ſucceſſor* Ermenoldi, Wideroldus *Abbas, eosdem* Portenſes *ſuper injuſto contractu inpetens, nos a ſede apoſtolica judices inpetravit. Poſt longam vero alterutro diſputacionem hoc equabili conſilio fuit inter eos diſcordia complanata, ut* Portenſes *fratribus de* Gozk *manſum, unum talentum ſolventem, adjunctis X. Marcis in perpetuos uſus donarent, vel pro univerſo ſimpliciter XXX. marcas, et ſic* Portenſes *in reliqua bona memorata quiete et ſine queſtione qualibet optinerent. Hanc ergo eorum convencionem, quam partis utriusque conſenſus voluntarius com-*

 probavit,

probavit, firmissimam perpetuo decernimus et ratam haberi, ac ne quis in posterum retractare vel in questionem revocare presumat, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac domini Celestini *Pape III cujus in hoc negocio functi sumus auctoritate, districte et sub interminacione excommunicacionis mandamus. Hujus rei testes sunt* Helembertus Havelbergensis *Episcopus*, Rukkerus *major Prepositus* Magdeburgensis, Heinricus *Decanus*, Albertus *Camerarius*, Heinricus *Prepositus* Angarensis, *Magister* Hugo *Canonicus* Hildensemensis, *Magister* Johannes Goslariensis, *Magister* Bernardus *Canonicus Sancti Nicholai* Magdeburgensis, Viggerus *Canonicus Sancte Marie* Magdeburgensis, *et* Bernardus *in* Grandin, *et alii quamplures. Actum est hoc anno Dominice incarnacionis M. C. XCVII. indictione XV. concurrente II. Epacta nulla.*

Ad intelligentiam huius diplomatis necesse est, vt tria alia conferamus, quo facto nexus totius rei perspectu erit facillimus. Prima emtio in hoc documento memorata facta est a. 1183. teste diplomate edito et excerptis apud Pertuchium. k) Deinde a. 1190. alia bona in Gernstedt Portenses acquisiuerunt, de quo testatur diploma, quod modo §. 4. prolatum est. Has duas acquisitiones confirmauit Hermannus Landgrauius in iudicio siue placito prouinciali, quod testatur Pertuchius. l) Nunc vero Gosecenses, neglectum

k) Dipl. *in den Unschuldigen Nachrichten* 1718. p. 169. apud Menckenium I. p. 771. Schamelium de mon. Gosecensi p. 74. Excerpta apud Pertuchium I. p. 99. edit primae.

l) Pertuchius I. p. 51.

glectum Episcopi Halberstadensis, vtpote cuius dioecesi monasterium illud subiectum fuerat, consensum caussantes, bona illa a Portensibus recuperare cupiebant: hi autem pro redimenda, quod vulgo dicere solent, vexa, iudicantibus sic arbitris, adhuc aliquid addiderunt, sic vt possessio bonorum dictorum ipsis sarta atque tecta permanserit.

§. 8.

VII. Post medium seculi XIII. ordinem Abbatum turbat Pertuchius noster. Post Henricum enim, qui ipsi ordine sextus est, omittit ALBERONEM, cuius tamen aliquam notitiam habuit. Quamuis culpa non tam ipsi tribuenda est, sed defectui documentorum, quae per integrum decennium inde ab a. 1257. nulla prorsus deprehenduntur. Albero vero laudatus a. 1267. memoratur testis in diplomate Theoderici, Marchionis Landesbergensis, quo omnia bona monasterio Dobrilucensi a maioribus tradita confirmat. m) Ibi expresse legitur: *Dominus Albero Abbas de Porta.* Igitur Albero hoc ipso anno reuera fuit Abbas Portensis, quemadmodum Cellensis et Dobrilucensis, qui ipsum sequuntur. Anno vero sequenti Albero adhuc Abbas fuit, et tempore visitationis Portensis per Episcopos Numburgensem et Martisburgensem institutae, cum Dithmaro, Abbate Walckenredensi, quaedam transegit, ab ipso Pertuchio memorata. Post id tempus dignitate Abbatis vel propter crimen excidit, vel etiam sua sponte

 cessit,

m) Dipl. apud Schlegelium de Cella Veteri p. 50. Ludewig. Reliqu. I. p. 92. Hofmannum S. R. Lusat. IV. p. 171.

ceſſit, id quod poſterius magis mihi credibile eſt. Nam a. 1211. in diplomate Beringeri de Briſenitz, cuius Pertuchius quoque meminit, ſubſcripſerunt *Fratres Portenſes, Dominus Reinhardus Abbas, Albero quondam Abbas.* [n])

§. 9.

VIII. Circa hoc ipſum tempus datum eſt diploma Alberti Landgrauii, quo monaſterio Portenſi ſex agros in villa Auerſtedt confirmauit. Exhibeo illud ex autographo, quod aliquis, harum rerum non bene gnarus, colligando libro nullius pretii adhibuerat, Amicus autem haud ita pridem libertati ſuae vindicauit:

In nomine Domini, Amen. *Nos* Albertus *Dei gracia* Thuringie *Landgravius et* Saxonie *Comes Palatinus, Univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam omnium habere memoriam divinitatis eſt pocius, quam humanitatis, conſcribi fecimus ea, que a nobis rationaliter aguntur, ne oblivioni tradantur. Notum igitur ſit omnibus hoc ſcriptum viſuris*, *quod nos contulimus et appropriavimus Eccleſie* Portenſi *ſex agros debite quantitatis ſitos in pago ville* Owerſtedenſis, *quos Frater* Merboto *converſus de* Porta *comparaverat pro certa pecunia a* Rudolfo *et* Henrico *fratribus de* Owerſtede, *et filiis eorundem*, Rudolfo *ſcilicet et* Ludewico, *qui agros predictos a nobis tenebant*, *et eosdem in manus noſtras reſignantes*, *nos rogabant*, *ut ipſos prefate Eccleſie traderemus. Ne igitur ſuper premiſſis in poſterum dubitatio aliquatenus oriatur*, *et ut empcio prelibata,*

n) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. II. p. 238. et Schamelium in Additionibus ad Pertuchium p. 231.

libata, et nostra donacio firma et inconvolsa perpetuo perseveret, presentem paginam sepe dicte Ecclesie porreximus nostri sigilli appensione munitam, et testibus ydoneis subnotatis. Comes Hermannus *de* Mansvelt, Berengerus de Bresnitz, Henricus *Marscalcus de* Ekkehardesberg, Ludewicus de Husen, Hermannus de Eversberch, Henricus de Schonenberg, *et alii quam plures. Acta sunt hec* Ekkehardesberg, *Anno Domini M°. CC°. LXVI. In Octava Mychahelis. Renunciaverunt eciam supradicti* R. *et* H. *fratres et ipsorum filii et uxores coram Ecclesia in* Owerstete, *agris premissis et omni juri, quod ipsis in eisdem competebat, assignantes et transferentes agros eosdem cum omni jure et utilitate In manus fratrum de* Porta, *In presencia eorum, quorum hec sunt nomina,* Henricus Rufus, *miles et filii sui* Conradus *et* Achilles *et* Herwicus, Henricus Ubelakker, Hildeboldus *et reliqui rustici de* Owerstete, *quibus dedit pro recognicione ejusmodi gestorum urnam cervisie Frater* Merboto *supradictus.*

Singularia sunt, quae hoc monumentum praeterea nos docet: 1. nomen *Achillis*, quod inter milites siue nobiles Germanicos vix reperias. 2. Rusticos in diplomatis testes citari, fateor, me nondum alicubi obseruasse. 3. Illis, non quidem pro testimonio, sed pro tempore, quod ipsi impendendum fuit, aliquam recognitionem fuisse exhibitam.

§. 10.

Haec igitur Porta, quam breuibus, prout scilicet pagina nobis praescripta permittit, illustrare conatus sum, mihi, cum multis aliis, liberalem non sustentationem modo, sed etiam informationem, ex clementia Regia et Electorali praestitit. Qua propter

meum eſt, gratum ipſi pro viribus animum exhibere. Quis vitio vertet filio, gratum erga matrem tam piam, tamque liberalem, animum oſtendenti? Iucunda ſane per totum vitae ſpatium erit illius quinquennii memoria, quod ibi per gratiam diuinam tranſigere fuit conceſſum. Multa ibi in me et alios commoda redundarunt, quae neſcio, an vbique, imo in pauciſſimis ſcholis, comparari poſſunt. Primo loco illud ponendum exiſtimo, quod iuuentus poſt preces matutinas lectioni ſacrorum Bibliorum vacare iubetur, id quod tempore hiemis, inſpectante Praeceptore, facere omnino tenetur, nec tempore aeſtatis, ſibi relicta, omittit. Hoc in aliis ſcholis, vbi diſperſi ſunt adoleſcentes, praeſtare non poſſumus, quum vix lectos, vt ait Prudentius, laſſos, ſoporos, deſides, relinquant, vt ſine precibus, et lectione verbi diuini ad auditoria ſua properent. Et tamen haec lectio inſignem vſum in vita Chriſtianorum praeſtat, quam qui negligit, magnam fortunae melioris partem amittit.

§. 11.

Alterum, quod Porta praecipuum habet, eſt, quod adoleſcentes, ſtrepitum et voluptates mundi peruerſi neſcientes, grata laborum viciſſitudine ſic inſtituuntur, vt Praeceptores non nimium fatigentur, et diſcipuli tamen plus, quam alibi, proficiant. Incredibile hoc eſt illis, qui rem ex aequo penſitare neſciunt, ſed tamen ab experientia ſatis ſuperque comprobatum. Portenſes non niſi quatuor horis per diem informantur, bene autem ac ſapienter inſtitutum eſt, vt reliquae horae ſtudiis priuatis tribuantur. Praeceptores audire bonum eſt, ſed labori priuato

vacare

vacare non posse, noxium. Sic bonum quoque columnas milliarias et Mercuriales inspicere, pessimum vero, iuxta illas haerere, et pedem non proferre. Quum ante annos quadraginta Portae bonis literis operam darem, familiare nobis erat, auctores optimos euoluere, ex iisque mentem pariter ac stilum formare: credo et hodie illud non omitti. Sed in aliis scholis id neque fit, neque fieri potest, et a nobis adolescentes ad Academias dimittuntur, qui vix vnum aut alterum auctorem priuato studio degustarunt. Diebus dominicis ac festis toti eramus in euoluendis, post sacra publica peracta, libris ad inspirandam veram pietatem spectantibus, scriptoribus item ecclesiasticis, graecis pariter et latinis: id quod alibi non tam commode vrgeri potest, vbi iuuentus a parentibus, cognatis, amicis et inimicis, ad sectandas voluptates vulgares et improbas inuitatur, et, quum haec fistula dulce canat, lubentissime obsequitur.

§. 12.

Tertium est, quod studia ibi tractantur sine cura illarum rerum, quae ad victum procurandum pertinent. Tempus adolescentiae, quo fundamenta studiorum ponenda sunt, non cantando per plateas, non informando liberos alienos, non obsequia fautoribus praestando, qui in Academiis aliquando praesto sint, teritur ac misere corrumpitur, sed potius laboribus necessariis et vtilibus consumitur. Vires corporis neque frigore hiemali, neque solibus aestiuis, atteruntur, ita, vt Portenses valetudinem recte curare, et viribus integris deinde munus publicum adire queant, cum alii contra, qui se cantando nimium

fatiga-

fatigarunt, vbi munus vix deguſtare coeperunt, fata ſua maturare ſoleant.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint

Portenſes alumnos! Mihi certe hoc vitae genus, poſtquam cum alia, quae anteceſſit et ſecuta eſt, viuendi ratione contendi, ita ſemper arriſit, vt me feliciſſimum eſſe putem, ſi per totum vitae ſpatium illa vel ſimili frui licuiſſet. Hinc Porta ſaepenumero ſomniorum partem mihi conficit; verſor enim in coenaculo, in templo, in periſtylio, inter libellos, inter commilitones, conſcendo montem animi gratia, pango carmina, quae feſto proximo prodantur, deſudo in oratione, qua Muſis Portenſibus vale acclamandum. Requiritur autem ibi animus diſciplinae et ordinis patiens, quique non includatur, ſed ſua ſponte locum adeat, quem alii perperam carcerem exiſtimant, ingenia ſcilicet ferociora, et Marti potius, quam literarum ſtudiis, nata.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

X.

De antiquiſſimis Litterarum in Terris Superioris Saxoniae Fatis

Diſſertatio.

§. 1.

Dum rem literariam harum terrarum antiquiſſimam luſtrare cupio, hoc ante omnia tenendum eſt, nullo literarum lumine patriam noſtram eſſe colluſtratam, priusquam religio Chriſtiana ad nos pertingeret,

ret, id quod factum ſeculo poſt natum Seruatorem decimo, poſtquam Henricus Auceps Sorabos ſubiugauit, et ex Sirbia fecit Saxoniam. Deinde nec hoc negandum, duro admodum initio rem literariam apud nos fuiſſe vſam, quia tempora tum erant rudiora, ſi cum hodierna bonarum literarum luce comparentur. Laudamus tamen viros pro ratione illorum temporum doctos, qui primordia eruditionis ad nos pertulerunt, laudamus ſcholas et omnes earum conatus, quae illud effecerunt, vt poſt aliquot demum ſecula meliore bonorum ſtudiorum ſplendore nunc quidem fruamur.

§. 2.

Primi ergo, qui literarum ſtudia ad nos pertulerunt, Epiſcopi fuerunt, ipſorumque Collegae, Canonici, quos inter *Scholaſticus* erat. Huius munus erat praecipuum, vt pueros religionem chriſtianam, linguam latinam, et alia, quae ad eruditionem illorum temporum ſpectabant, doceret, vnde ipſi nomen *Magiſtri Scholae*, [a]) quod et diplomata vernacula more noſtro ſic verterunt. Hae primae erant in terris noſtris Scholae, paucae, et quae raros haberent auditores, Soraborum ingeniis longo ſatis tempore diſciplinae reluctantibus. Igitur et viros doctos non niſi in Eccleſiis cathedralibus primo apud nos literarum ſeculo, quod decimum eſt a nato Seruatore, quaeras. Primi procul omni dubio fuerunt Epiſcopi, quos Miſnae, Merſeburgi et Cizae conſtituit Otto, primus huius nominis, Imperator glorioſiſſimus. BVRCARDVM ſane Miſnenſem teſtatur

a) Annaliſta Saxo a. 994. p. 357. a. 1000. p. 373.

tur Trithemius [b]) sacrarum pariter et humanarum literarum fuisse callentissimum, plebemque non doctrina solum, sed et vita, erudiisse. Quum trans Albim multos ex Sorabis ad Christum conuerterit, credibile est, linguam horum ipsi quoque fuisse non incognitam. Prima vero literarum rudimenta in monasterio S. Ioannis Magdeburgensi tractauit. Ipsum literis aliquid mandatum reliquisse non constat, neque in tam larga hominum messe proficuum fuisset Ecclesiae christianae, si dulciori potius labori studiis incumbendi, quam duriori, animas scilicet Christo lucrandi, voluisset incumbere. De reliquis Episcopis idem vsu venisse credibile est, quamuis historici nostri in describendis ipsorum gestis parciores fuerint.

§. 3.

Proximus ab hoc memorandus GVNTHERVS, Comes Thuringiae, *Marchionis* quoque titulum adeptus, vnde quidam *Misnensem* statuunt, Eccardi I. *Marchionis Misnensis*, pater. Eius res pace belloque gestas alibi [c]) memoraui. Hoc loco illud docendum est, ipsum post mortem filii seculo, vt tunc loquebantur, renunciasse, quippe qui in monasterio Heroueldensi cucullum induit, eremiticam quoque vitam postea sectatus: Audiamus, quae de ipso narrat Historicus: [d]) *Litteras omnino, nisi tantum psalmos, non*

b) Trithemius Chron. Hirsaugiensi a. 923. Adde Paul. Langii Chron. Citicense p. 764.

c) *In der Ober-Sæchsischen Nachlese* V. p. 178. seqq.

d) Wolfherrus in Vita S. Godehardi Episc. Hildesiensis c. 2. apud Mabillonium Seculo V. Benedictino, p. 345. in Actis SS. tom. I. Maii p. 506. 7. et Tom. I. Script. Brunsuicensium Leibnitii p. 487. 488.

non didicit, et tamen omnem rationem et intellectum Euangelii, Legis et Prophetarum, et Historiarum quoque, ex crebra fratrum relatione, et etiam auidiore Verbi Dominici exauditione, mirabiliter percepit, adeo, vt saepissime obscuriora mysticae intelligentiae, interdum iocando, interdum vero admonendo, stupentibus auditoribus proferret, quod nos quidem, qui eum familiarius nouimus, frequenter audiuimus. Praecipue tamen, cum in summa sua festiuitate, in natiuitate scilicet S. Ioannis Baptistae, specialis sui patroni, sermoni eius affuimus, quo in capitulari collatione eodem die fratres suos admonebat, dum eos eiusdem patris vita et moribus, victu et etiam vestitu, et operibus, ad paupertatis suae Domino Deo placitam tolerantiam instruebat. Verum enim dico, et coram Deo non mentior, quia omnes paene, qui aderant eidem sermoni, ad vberrimam lacrymarum effusionem dono Dei sunt compuncti. Contradicit sibi hic scriptor, dum illum literarum rudem, et tamen in Scripturis sacris probe versatum dicit. Qui enim Sacras literas, quocunque modo didicerit, bene perspectas habet atque cognitas, ita, vt ex illis, pro illorum temporum ratione, alios ad vitam sanctam admonere potuerit, ille satis est eruditus. Imo Guntherus miraculum erat illius seculi, quum in ipsa senectute, tam egregios tamen profectus in sacris acquisiuerit.

§. 4.

Aequalis huic fuit BRVNO, ex dynastis Querfurtensibus oriundus, qui Magdeburgi literis incubuit, Giddone praeceptore vsus, condiscipulus Ditmari Merseburgensis, de quo paullo post dicendum erit.

En

En huius de condiſcipulo teſtimonium: [e]) *Cum mane ad ſcholam ire debuiſſet, antequam ab hoſpitio exiret, veniam petiit, et, ludentibus nobis, in oratione is fuit.* Nolo vitam et res ab eo geſtas percenſere: Ottoni III. Imperatori fuit a ſacris, demum bis in Boruſſiam profectus, vt ibidem idolorum cultores ad verum Deum perduceret, a 1009. corona martyrii ornatus eſt. Trithemius hoc illum elogio mactat: *Vir in diuinis ſcripturis doctus, et declamator homeliarum ad populum egregius, ſanctus denique et Deo dignus.* [f])

§. 5.

Sequatur commilitonem ipſe DITMARVS, ex Comitibus Walbeccenſibus, quum corpore deformis eſſet, ſtudiis adhibitus, primum monachus S. Ioannis Magdeburgi, poſtea Praepoſitus Walbeccenſis, tandem Epiſcopus Merſeburgenſis, vſque ad a. 1018. quo fatis conceſſit. Primum fuit, qui hiſtorias ſui temporis ab Henrico I. vſque ad Henricum II. percenſuit, et res in patria noſtra geſtas ſimul memorauit, ſine quo multa nos hodie laterent. Hiſtoria illius ex Codice Archiui Dreſdenſis deſcripta, primum edita eſt a Reinero Reineccio, poſt a Ioachimo Ioanne Madero, demum ex Codice Antuerpienſi locupletior a God. Guil. Leibnitio in Scriptoribus Brunſuicenſibus. Sed quia nondum omnia ex laudato Codice prodierunt, quum Sanctorum Hiſtoriographi adhuc plura inedita haberi oſtendant, [g]) hunc mihi laborem, ſi deus vitam conceſſerit, ſumſi, vt ſcripto-

e) Ditmarus VI. p. 177.
f) Trithemius l. c. ad a. 1009.
g) Acta Sanctorum Tom. VI. Iunii p. 38. Tom. III. Iulii p. 724.

ſcriptorem hunc ſui temporis claſſicum, ex vtroque Codice (nam et Dresdenſis plenior eſt editis) locupletiorem exhibeam. *)

§. 6.

Neque hic tacendus eſt BENNO, Epiſcopus Miſnenſis, Comitum Woldenburgenſium in inferiore Saxonia ſtirpe oriundus. Is a parentibus anno aetatis quinto, S. Bernwardo, Hildeſienſium Epiſcopo, educandus traditus eſt, qui eum per Wigerum, Praepoſitum, in bonis literis erudiendum curauit. [h]) Poſt in ſcholam Pariſinam ablegatus eſt, vbi ſupremos philoſophiae gradus obtinuit. [i]) Dignitates eius fuere ſequentes: a. 105 . Abbas S. Michaëlis Hildesheimenſis creatus, exacto vero trimeſtri Scholaſticus S. Simonis et Iudae Goslariae ab Henrico IV. conſtitutus, tandem ſub finem a. 1066. Epiſcopi Miſnenſis dignitatem adeptus eſt, a 1107. d. XVI. Iunii rebus humanis ereptus. De aliis eius geſtis nihil ad nos, de literariis tantum ſollicitos. Exſtant ex operibus illius

1. *Dictaminum Liber*, ſiue de ratione conſcribendarum Epiſtolarum, quod Opuſculum in Codice diplomatico ediderunt Bernardus Pez et Philibertus Hueber, qui Codex Tomum vltimum Theſauri Anecdotorum Peziani conſtituit, p. 264 -- 278. Leibnitius docet,

*) Hoc tamen, quod valde dolendum eſt, B. Auctor non praeſtitit, rem quae diu iam in votis virorum eruditorum fuit quamque nemo melius B. Schoettgenio perficere potuiſſet. *Editor.*

h) Tangmarus in vita S. Bernwardi c. 45. al. 47. Emſerus in vita Bennonis c. 1. n. 15.

i) Meichelbeck hiſt. Friſing. I. p. 296.

docet, [k]) Codicem manu exaratum exſtare in Bibl. Guelferbytana, vnde ſpecimen aliquod illius dederat.

2. *Expoſitio Euangeliorum Dominicalium* exſtat in in eodem Codice Guelferbytano, vnde ſpecimen in Euangelium Dominica I. Aduentus produxit illuſtris Leibnitius, ex quo conſtat, allegoricum interpretandi genus ipſi placuiſſe.

§. 7.

Aequalis Bennoni fuit WALRAMVS, Epiſcopus Numburgenſis, ab a. 1090. vſque ad a. 1110. ſcriptis editis clarus, quorum titulos addimus:

1. *Epiſtola* ad Ludouicum, Thuringiae Landgrauium, qua ipſum monet, vt partes Pontificis deſerat, et Imperatori potius fidem exhibeat.

2. *De vnitate Eccleſiae conſeruanda, et de Schiſmate inter Imperatorem et Pontificem.*

3. *De inueſtitura Epiſcoporum per Imperatores facienda.*

4. *Epiſtola de S. Leonardo Confeſſore.*

5. *Epiſtola ad Anſelmum Cantuarienſem.*

6. *Epiſtola ad Eccleſiam Bambergenſem.*

Breuibus haec tantum indigito, quum in Acceſſionibus ad Bibliothecam Latinam medii aeui Fabricianam haec copioſius tractauerim.

§. 8.

Huc vſque nullum adhuc monaſterium in terris noſtris dedicatum fuerat: ſolae vero Cathedrales Eccleſiae tam multis iuuenibus, qui magnae hominum multitudini in religione Chriſtiana formandae ſufficerent,

k) Praefat. Tomi II. Script. Brunſuicenſium p. 34.

rent, educandis et erudiendis non erant pares. Cogitatum itaque ſuit de monaſteriis, vbi maior eorum copia informari poterat. Primus tale quid auſus eſt Wernherus, Epiſcopus Merſeburgenſis, numero vndecimus, qui a. 1021. aſceterium S. Petri, prope vrbem Merſeburgenſem dedicari voluit. [l]) Succedit Goſecenſe, a Comitibus Palatinis Saxoniae, inter quos praecipuus erat Adelbertus Archiepiſcopus Bremenſis, a. 1053. erectum, [m]) cuius hiſtoriam Monachus quidam Goſecenſis, et poſt illum Schamelius, dedit: ſed ſcholarum veſtigia in his nulla inuenimus quamuis credibile ſit, illa phrontiſteria non prorſus ſine iuuentutis informatione tempus triuiſſe. Bibliotheca tamen iam a. 1070. ibi memoratur, quae poſtea libris, ex Italia magno ſumtu comparatis, aucta ſit. [n]) Hoc omni dubio caret, illa monaſteria cultus diuini amplificandi cauſſa fuiſſe inſtituta, adeoque fieri non potuiſſe, vt iuuentus in iisdem plane negligeretur.

§. 9.

Dum in primis terrarum noſtrarum monaſteriis recenſendis verſor, illud non omittendum eſſe duco, quod in honorem S. Afrae in vrbe Miſenenſi conſecratum eſt. Hoc vulgo tradunt [o]) a Reinero, ſepti-

l) Ern. Brotuff in notitia monaſterii S. Petri Merſeburgenſis Tom. XII. *der Ober-Saechſiſchen Nachleſe* p. 171.

m) Dipl. apud Monachum Goſecenſem p. 210. et alios auctores in Inuentario diplomatico a me adductos.

n) Chron. Goſecenſe p. 213. 215.

o) Fabricii Annales Vrbis Miſnae p. 87. Laur. Fauſt *Geſchichte der Stadt Meiſſen* p. 10. 23.

mo Eccleſiae Miſnenſis Epiſcopo, a. 1050. coeptum, paullo ante obitum a. 1060. ad finem perductum, Canonicis regularibus traditum, templum a. 1058. dedicatum, et a Nicolao II. Pontifice Romano, nec non Henrico IV. confirmatum fuiſſe. Ipſum Epiſcopum a. 1060. d. XV. Aprilis fato ſuo functum eſſe credunt. Verum ſi rem, criſi hiſtorica adhibita, conſideres, multa hic monenda occurrunt. Nam 1. Reinerus ille non fuit Epiſcopus ordine ſeptimus, ſed potius nonus, ſi ſcilicet Aiconem II. inſeras, de quo diploma huc vſque ineditum teſtatur, et Brunonem I. quem documenta omni dubio carentia ab a. 1057. ad 1065. Eccleſiam ſuam rexiſſe, oſtendunt. 2. Ex his illud conſequitur, Reinerum Epiſcopum tempore dicto, ab anno ſcilicet 1050. ad 1060. Eccleſiae laudatae non praefuiſſe. 3. Reinerus dignitatem Epiſcopalem non diu tenuit, quem ſcriptores probatisſimi p) iam a. 1066. defunctum eſſe tradunt, inde fieri non potuit, vt illud monaſterium intra tam breue temporis ſpatium ad finem perduceret. Si quid igitur a Reinero, vel alio quodam Epiſcopo antiquiore, quod huc ſpectaret, actum fuit, templum, Diuae Afrae ſacratum, ab vno illorum fuit exſtructum. Iam enim de monaſterio certiora docere licet, quum literae fundationis, propediem a me publicandae, veram illius epocham nos doceant. *) Theodericus eius nominis ſecundus, a. 1190. hanc dignitatem conſe-

p) Lambertus Schafnaburgenſis, Annaliſta Saxo, et Herm. Cornerus ad a. 1066.

*) Hae tamen literae, quantum nobis conſtat, neque a B. Schoettgenio, neque a quoquam altero poſt eius mortem hus vſque in publicam lucem ſunt productae. *Editor.*

consecutus, a. 1205. in Ecclesia S. Afrae Misnae, ante castrum in monte sita, Canonicorum regularium, secundum regulam beati Augustini viuentium, conuentum erexit. De schola vero praecepit sequentia: *Et vt diuinum officium ibi solempniter celebretur, scolæ illic duodecim puerorum secularium habeantur.* Ex quibus verbis simul aliquo modo de conditione illarum scholarum iudicium ferre licet, eas scilicet non ad amplificandas literas, tum sacras, tum profanas, sed potius ad pompam cultus externi, fuisse constitutas. Vnde non mirum, quod tam paucos habeamus, qui in bonis literis aliquid praestiterunt. Facilius enim est, laudes diuinas, vt ipsi praedicant, celebrare, et cantiunculas quotidianas repetere, quam ingenium literarum studiis excolere.

§. 10.

Venio nunc ad seculum duodecimum, in quo numerus monasteriorum apud nos auctus est, neque tamen fines verae eruditionis magnopere propagati. Nolo inire numerum illorum, ne Lectores multis nominibus enarrandis nimium fatigem, praecipue quum in rem praesentem parum inde subsidii sperandum sit. Hoc addendum est, illis, qui paullo plus sapere voluerunt, Athenas Parisienses fuisse proficiscendum: cuius rei geminum exemplar historia patria nobis suppeditat. Prius est Ludouici IV. Thuringiae Landgrauii, quem vulgo *Ferreum* vocant. Is circa a. 1160. literas dedit ad Ludouicum VII. Galliae regem, eique filios suos Lutetiam missos his verbis commendauit: *Filios hos enim meos omnes litteras discere proposui, vt, qui maioris inter eos notaretur discretionis, in studio perseueraret. Ex his vero duos ad*

præsens nobilitati vestræ mittere proposui, vt vestro iuuamine, nec non vestra defensione Parisiis stabilius possent locari. q) Alterum est eodem fere tempore Theoderici, Comitis Rochlicensis et Sommerseburgensis, qui Magdeburgi literis incubuerat, et ad Canonici dignitatem adspirauerat. Cum vero Parisios petiisset, orto ibidem inter Studiosos et ciues tumultu, famulos prioribus auxilio misit, vnde factum, vt aliquis occideretur. Ipse postea rebus suis diffidebat, non sperans aliquam in Ecclesia dignitatem, vnde ad seculum, vt tunc loquebantur, redire placuit. r)

§. 11.

Ex viris doctis hoc seculo vnum tantum possum citare, VOLCWINVM videlicet, Ord. Cisterciensis, qui monachus Veteris Campi, Prior Walckenredensis, tandem primus Abbas fuit monasterii Sittichenbacensis in Thuringia, quod abbreuiate *Sichem* vocatur. A. 1179. adhuc in viuis fuit, et testis diplomati cuidam subscripsit. s) Scripsit *Sermones* pios et doctos, ex quibus vnum *Synodalem* habuit, quem Leuckfeldius edidit. t) Alium *Sermonem de Zizania et semine* citat Goldastus: u) *Commentarium perpetuum in Euangelia* Carolus de Visch x) commemorat. Miracula

q) Dipl. apud Andr. du Chesne S. R. Franc. IV. p. 704. Blondellum Geneal. Franc. II. p. 258. et alios.

r) Chron. Montis Sereni p. 151. Annales Veterocellenses p. 125.

s) Dipl apud Leuckfeld Antiqu. Kaltenborn. p. 103.

t) Antiqu. Walckenredensibus II. p. 180.

u) ad Eginhardi vitam Caroli M. c. 32.

x) Bibl. Scriptorum Ord. Cisterciensis p. 316.

Miracula eius, nomine *Sancti* addito, deſcribuntur in Codice MS. Bibliothecae Ienenſis. [y])

§. 12.

Seculo XIII. ad quod nunc pergendum erit, ineunte, prima Iuris Canonici apud nos mentio occurrit. Audiamus Chronicon Montis Sereni ad a. 1205. *Ad hoc primum tempus fratres Sereni montis Appellationis et verborum Decretalium, eis hactenus ignotorum, vſum habere coeperunt: quarum rerum praefati Friderici* (Praepoſiti) *electores a Bertoldo, Merſeburgenſi Praepoſito, et Henrico eius fratre* (fratribus Praepoſiti recens electi) *informati, auctores fuerunt: Ad ſepulturam Waltheri Praepoſiti ſuper ſigillo Eccleſiæ appellantes, ne quid videlicet vel pro parte aduerſa, vel contra ipſos, nomine Capituli ſcriberetur.* Multis verbis hic commentatur Io. Petrus de Ludewig, [z]) ſed reuera plura non dicit, quam quae ab ipſo monacho iam dicta fuerant: hoc vnicum ſi excipias, non intelligi poſſe Decretales Gregorii IX. quae anno demum 1230. per Raimundum de Penna forti collectae ſunt, ſed aliam Collectionem a Bernardo Circa [a]) confectam. De iure Ciuili Romano, iam ſeculo ſuperiore, quamuis non vbique, apud nos introducto, quaedam inuenies in Vita Conradi Magni, ante annos aliquot a me in publicum edita.

§. 13.

In eodem Montis Sereni monaſterio nunc demum veſtigia ſcholae ibidem erectae occurrunt. Ad

 annum

y) Mylius Memorab. Bibl. Ienenſis p. 409.

z) *In den gelehrten Anzeigen* Tom. III. p. 785.

a) De quo confer, praeter ſcriptores, qui Hiſtoriam Iuris Canonici tractant, Fabricii Bibl. Latinam medii aeui I. p. 1064.

annum enim 1212. quum Tidericus, Praepoſitus per controuerſiam electus, tumultuarie a quibusdam introduceretur, narratur, electores illius *aſſumtis ſcolaribus, quorum magiſter partis ipſorum erat, eleuatis in cantum vocibus, electum ſuum ducentes, ad Eccleſiam feſtinaſſe.* Ad annum vero 1220. vbi documentum Concordiae illius monaſterii habetur, in eo ſic conuenit: *Ianua clauſtri, cum ianua ſcholarum, firmiter claudatur de nocte, clauis etiam mittatur Priori.* b) Ex his patet, Scholam ibi ſingulari quadam domo vſam, et ab ipſo monaſterio ſiue clauſtro fuiſſe diuerſam: ſcholaribus ſingularem fuiſſe magiſtrum, qui fortaſſe Canonici dignitatem ſimul obtinuit: tandem eos cantus ſacri cauſſa, in cultu publico obſeruandi, ſi non praecipue, tamen magnam partem, nutritos. An multa in vario ſtudiorum genere praeſtiterint, adfirmare non audeo.

§. 14.

Adeſt tamen monachus non indoctus, qui *Chronicon* illius monaſterii, interiectis ſimul variis notatu dignis, ab a. 1124. vſque ad a. 1225. dedit, a Ioach. Ioanne Madero et Io. Burcardo Menckenio editum. *) CONRADVM *Lauterbergenſem* vocant Fabricius et Albinus, quanquam fatendum eſt, in toto opere, quod aliquoties perlegi, nulla huius nominis veſtigia comparere. Interim tamen neque illud praefracte negare audeo, quum liber ſine mutilus ſit, in exemplo

b) Chron. Montis Sereni p 99. 135.

*) a *Madero* Helmſt 1665. 4. poſtea ab *Hoffmanno* Scriptor. Rer. Luſat. T. IV. tandem collatum cum Codice Plothoniano a *Menckenio* Script. Rer. germ. Tom. III. *Edit.*

plo alio et integro tale quid lectum fuisse. Et optandum esset, vt Bibliothecarum Germanicarum foruli excuterentur, et Autor ille integer et emendatior sisteretur. Primus, qui auctori nostro *Conradi* nomen praefixit, Madero teste, est Io. Iacobus Frisius in Bibliotheca Gesneri recognita. Caeterum Auctor laude dignus est, sine quo multa in historia patriae nostrae nobis mansissent ignota, vnde et a viris historiarum peritis magno cum fructu adhibetur.

§. 15.

Est mihi Chronicon Gubenense manu exaratum, ex quo sequentia excerpo: *A 1231. ist zu Wien in Oesterreich gestorben, vnd bey S. Schotten begraben worden D. Johann Mühlbach, Keyserlicher Rath vnd Cantzler, welcher dem Keyser Friedrichen dem andern nützlichen gedienet, auch mit ihme in Syrien gewesen, derselbige ist der Geburt von Guben gewesen, auch aldar erzogen worden, als seine scripta bezeugen.* Et postea: *A. 1312. ist zu Wien gestorben, vnd zu S. Jacob begraben Johann Faber, im 80. Jahr seines Alters, ist von Guben bürtig, vnd Keysers Alberti primi Rath gewesen, wie sein Epitaphium auf einer messenen Taffel alldar ausweiset.* En igitur bigam virorum non doctorum solum, sed et magnis meritis illustrium, quibus Gubena merito possit superbire! Sed, qui historiarum non prorsus ignarus est, eum fraus statim subolebit, in priore in primis narratione commissa. Nam Fridericus II. Imperator gente non Austriacus fuit, sed Sueuus, cuius Vienna non fuit: sed terrae potius Austriacae tunc suos Duces habuerunt, ex linea Babenbergensi oriundos, paullo post vero exstinguendos. Notatu quoque dignus est S. Schottus, in

cuius honorem Viennenses monasterium dedicauerunt. Porro titulus *Doctoris* fucum prodit, nam Cancellarii tunc temporis *Magistrorum* axiomate gaudebant. Huiusmodi vero narrationes debentur impudentiae Abrahami Hosemanni, sutoris Laubanensis, sed qui honores et titulum Historici Caesarei, fraudibus et artibus suis, emendicare nouerat. Lucri igitur et praemii caussa variis vrbibus, et in his quoque Gubenensi, imposuit, ad multos auctores prouocans, quos in bibliotheca sua adseruaret, quemadmodum et hic prouocatur ad Cyr. Spangenbergii Chronicon Schwartzburgicum, D. Mauritii Brand Chron. Burgundicum, D. Hagemülleri Opus de re Heraldica, et alios huiusmodi, quos nusquam inuenias. Propediem autem, occasione se offerente, de hoc et aliis huius farinae impostoribus, qui libros producunt, quos nunquam oculis vsurparunt, pluribus agendum erit.

§. 16.

Illi seculo debetur etiam quaedam cultura Poëseos vernaculae, Hermanno, Thuringiae Landgrauio, adscribenda, fructus scilicet aliquis studiorum in Academia Parisina tractatorum: nam illis temporibus in Gallia Poëtae lacertos mouere coeperant. Felicem igitur imitationem suscipiens, idem in patria sua tentabat, neque deerant Marones pro illorum temporum conditione, qui se ad certamina poëtica saepenumero prouocabant. Inde *Ludus* vel etiam *Bellum* (poëticum scilicet) *Wartburgense*, in qua arce Hermannus tunc sedem habebat. Nomina Poëtarum sunt haec: *Heinrich der tugendhafte Schreiber*, *Walther von der Vogelweide*, *Reinhard von Zwetzen*,

Wolfram

Wolfram von Eſchenbach, *Biterolf*, et *Heinrich von Ofterdingen.* Ne vero haec longius perſequar, otium mihi fecit Clariſſ. M. Chriſtianus Godofredus Grabenerus, cuius exſtant de hac re Programmata, calculum eruditorum promerita. *)

§. 17.

Huc quoque pertinent duo ſcriptores *de Vita S. Eliſabetae*, quae filia fuit Andreae, regis Hungariae, coniux vero Ludouici VI. Landgrauii Thuringiae. Prior eſt CONRADVS *de Marpurgo*, Ord. Praedicatorum, qui S. Eliſabetae fuit a ſacris confeſſionibus, ſed homo erga principem molliorem ſatis durus et immitis, ita, vt credibile ſit, hanc eius in poenitentiis iniungendis duritiam, finem vitae ipſi maturaſſe, quum annos nata XXVI. obierit. Nec mitior fuit in illos, quos tanquam haereticos perſecutus eſt, laudem propterea apud ſuos promeritus. *Epiſtola* ipſius *de vita et miraculis S. Eliſabetae* primum a Leone Allatio in Symmictis eſt edita, poſtea cum iisdem in editione Veneta operis Hiſtoriae Byzantinae repetita. c) Alter eſt THEODERICVS *de Apoldia*, vel etiam *de Thuringia*, ex *Vicedominorum* (*Vitzthumios* hodie vocamus) gente oriundus, quibus Apoldia, oppidum haud procul a Iena diſſitum, tunc

*) Programmata nempe tria de bello Wartenburgenſi, itemque ſex de libro heroico Dresd. 1743 ſqq. Quaedam horum Poetarum ipſiusque Hermanni Landgrauii fragmenta in libro: Proben der alten ſchwæbiſchen Poeſie des XIII. Jahrhunderts, Turici 1748. 8. duobusque aliis ſimilibus collectionibus ibidem ante paucos annos editis legi poſſunt. *Editor.*

c) Plura de illo Fabricius in Bibl. Latina medii aeui I. p. 1169.

tunc fuit subiecta. Ordini Dominicanorum Erfurti circa a. 1246. fuit adscriptus, vixit autem vsque ad a. 1292. *Vitam* non *Elisabetae* solum, a Surio et Canisio editam, sed et *S. Dominici* scripsit, quam posteriorem Surius suo more interpolatam dedit d. 5. Augusti, integram vero Guil. Cuperus in Actis Sanctorum Tom. I. Augusti p. 562. Plura, ne vltra modum longior fiam, vide in vltimo Tomo Bibliothecae Latinae medii aeui Fabricianae a me adiecto: quibus nunc addendum, exstare quoque versionem vernaculam Vitae Elisabetanae, Erfurti 1520. 4. editam, quod docet Bibliotheca Historica Kreysigiana.

§. 18.

A. 1268. Henricus Aduocatus de Glizberg (Gleisberga intelligitur, arx Ienae vicina, hodie in ruinis suis iacens) filium Hermannum habuit, qui *in studio* (h. e. Academia) *Parisiensi* literas tractauit. d) A. 1287. Albertus de Ebeleben, claustrum sanctimonialium in Marcksusra construens, *decem dominas literatas et nobiles, et bonae vitae*, in illud collocauit, *allatis*, vt ipse pergit, *et collocatis quatuor dominabus de Annenroda, literatis et vitae laudabilis ad easdem.* e) En igitur virgines quoque literatas! quod rarum est illo aeuo et in illo sexu. Nisi forte quis literatas tales exponat, quae latina legere didicerunt, quamuis alias in ipsis literarum studiis non multum praestiterint. In literis Henrici Illustris hoc seculo mentio iniicitur *Physici*, h. e. Archiatri, in diplomatis autem Friderici Admorsi a. 1307. et 1314. *Astronomi* quoque

d) Dipl. apud Menckenium S. R. Germ. I. p. 688.

e) Dipl. in Kœnigs *Adels-Historie* II. p. 363. et Thuringia sacra p. 591.

que nomen et munus occurrit: vterque aulam ſectatus eſt, et inter teſtes datarum literarum legitur.

§. 19.

Seculum XIV. ad quod nunc progredimur, bonarum literarum fuiſſe cupidum, vel ex eo conſtat, quod complures Academiae in Germania, Italia, Gallia, Bohemia et Polonia fuerunt erectae, ex quibus propiores nobis fuerunt Pragenſis, qua tamen ciues noſtri non magnopere vſi eſſe leguntur: et Erfurtenſis, anno demum ſeculi nonageſimo ſecundo inſtaurata. Apud nos quoque nunc plurium ſcholarum, quam ante, mentio occurrit, non quod credam, illas ante nullas fuiſſe, ſed quod nunc demum maiorem nactae ſint ſplendorem. In monaſterio Eilwardestorpienſi prope Querfurtum a. 1322. *pueri de ſcolis* memorantur, quorum in aliqua diſtributione tunc ratio fuit habita: et anno ſequente, quum duo domini Querfurtenſes aliquos monaſterio reditus pro animarum ſuarum ſalute offerrent, haec inter alia adiecerunt: *Cauendum quoque eſt, qualiter vel quomodo iſta conſolatio fiat, ne pueri de ſcolis, vel eccleſiaſticus, conſolationis huiusmodi ſint expertes, vt et ipſi, vna cum dominis ſæpe dictis* (monachis) *anniuerſaria noſtra magis diligenter non deſinant obſeruare.* f) Rurſum illi ſcholares ſiue diſcipuli cantus eccleſiaſtici praecipue gratia adhibiti leguntur, quem in anniuerſaria defunctorum memoria obſeruarunt, ea propter etiam vna cum aliis *conſolatione*, h. e. lautioribus, quam quotidie fiebat, epulis excepti. Idem habemus in diplomate Quedlinburgenſi a. 1331. vbi *Rectori*

f) Dipl. apud Ludewig. Reliqu. I. p. 299. 307.

Rectori Scholarum cum suis scolaribus annuos tres solidos propter ministerium in cultu publico tribuerunt. [g])

§. 20.

A. 1354. Andreas de Ilmena *Rector scolarium* monasterii Oldeslebiensis memoratur. [h]) Scholae Fribergensis a. 1361. primum mentio fit, quae ad aedem D. Mariae sita erat: [i]) anno autem 1382. Balthasar et quatuor alii Landgrauii Thuringiae, Marchionesque Misnenses, mandarunt hanc solam scholam, in qua pueri dudum formati fuerint, Fribergi obtinere, alias autem minime tolerandas esse. [k]) Cygneae Schola iam a. 1387. incendio periit, [l]) quae res documento est, illam antea iam ibidem locum obtinuisse. Denique a. 1395. Bonifacius IX. Pontifex Romanus, *Proconsulibus*, *Consulibus et Vniuersitati* (h. e. ciuitati) Lipsiensi indulsit, vt *intra limites parochiales Ecclesiæ S. Nicolai*, *in loco ad hoc congruo et honesto*, *pro conditione Scholarium*, *in Grammatica et aliis primitiuis scientiis ac artibus liberalibus scholas construere*, *et Magistros Scholarium huiusmodi ad hoc habiles et idoneos*, (*qui per se vel alium*, *seu alios*, *cum scholaribus ipsarum scholarum*, *missis*, *et aliis diuinis officiis*, *in Ecclesia praedicta decantandis*, *Dominicis et aliis festiuis diebus*, *interesse debeant*) *pro tempore deputare*, *ipsosque Magistros*, *quoties eisdem Proconsulibus*

g) Dipl. apud Kettnerum Dipl. Quedlinb. p. 399.
h) Dipl. apud Menckenium I. p. 647.
i) Andr. Molleri Theatrum Friberg. I. p. 126.
k) Dipl. apud Eundem p. 174. Hornium in Friderico Bellicoso p. 655 et alios.
l) Tob. Schmidii Chron. Cygneum I. p. 98.

consulibus et Consulibus videbitur, remouere valeant, Praepositi et conuentus monasterii S. Thomæ, qui præfatam Ecclesiam in proprios vsus tenere dicuntur, consensu vel licentia super his minime requisitis. Non obstantibus, quod in vno duntaxat loco, videlicet apud Ecclesiam dicti monasterii, huiusmodi scholae hactenus esse, et earum Magistri cum suis scholaribus, missis et aliis diuinis officiis, in Ecclesia monasterii praedicta, interesse, et per Præpositum et Conuentum præfatos deputari et amoueri consueuerint. m) Patet ex his, Scholam Thomanam antiquiorem fuisse, quum origines illius nos lateant. Patet, ius patronatus, quod hodie vocamus, huius scholae ad monasterium, Nicolaitanae vero ad Senatum, pertinuisse.

§. 21.

Neque de Dresdensi nostra hic tacere licet, quamuis, quum ante sexennium notitiam de eadem suppeditarem, ad hoc seculum pertingere non licuerit. Effugerat scilicet diligentiam meam, quod postea demum in memoriam reuocaueram, quamuis iamdudum a me lectum fuerit. Scilicet a. 1425. Heidelbergae combustus est Ioannes de Drandorff, clericus, sed nobilis, cuius maiores Slibenae possessiones suas habuerunt. n) Cum is rationem doctrinae suae redderet, inter alias rogatus, vbinam fundamenta studiorum iecerit; respondit Dresdae in Misnia, *sub Magistro*

m) Dipl. apud Schneiderum Chron. Lips. p. 186. Vogelium Annal. Lips. p. 47.

n) Est mihi diploma Schlibense ineditum, ex quo constat, Georgium Drandorffium a 1463. inter vasallos Electorales numerari, qui Schlibenae sedem habuerint.

Magistro Friderico, *consocio Magistri Petri de Dresden*, quos ambos Pragae obiisse testatur. o) Hinc ego sic concludo, si M. Fridericus consocius fuit M. Petri Dresdensis, hic Petrus fuit Rector, Fridericus vero Collega, quos tunc vulgo *socios*, (germ. *Schulgesellen*,) vocare solebant. Si porro Petrus Dresdensis a. 1425. iam defunctus erat, sequitur, ipsum sub finem seculi XIV. potuisse Rectoratu fungi, vnde, quod obiter moneo, Chemnitium abiit, a. 1414. eodem munere perfunctus, quod ex Chronico Chemnicensi manu exarato didici.

§. 22.

Ex scriptoribus huius seculi, qui apud nos nomen aliquod consecutus sit, solus commemorandus est SIFFRIDVS, quem vulgo presbyterum *Misnensem* vocant: melius monachus *Misenensis* dicitur in Codice MS. Academiae Lipsiensis. p) Posseuinus et alii, Ordini Praedicatorum accensent, quibus nuper assensum praebui, sed memoria lapsus: monasterium enim Misenense fuit Franciscanorum, quod hodie Scholae oppidanae inseruit. Scripsit *Compendium historiarum ab orbe condito vsque ad* a. 1307. cuius Codex manu exaratus plenior est in Bibliotheca Electorali Dresdensi, tres vero, ni fallor, in Bibliotheca Paullina. *Epitome* illius, vel *Excerpta* potius, edita sunt a Georgio Fabricio in Annalibus vrbis Misnae, et Io. Pistorio Tom. I. Scriptorum Germanicorum. q)

§. 23.

o) Kappii *Nachlese von Reformations-Vrkunden* III. p. 38. 39.

p) Felleri Catal. MSS. Bibl. Paullinae p. 314.

q) Optime vero, collata cum MSS. et ex his aucta atque cum annott. *Tenzelii* in editione *Struuiana Pistorii* T. I. p. 1017-1055. *Edit.*

§. 23.

Sic igitur omnem campum hiſtoriae literariae permenſus ſum per ſecula fere quinque, et docui, quaenam facies in his terris fuerit bonarum literarum: docui vero, quantum monumenta apud nos exſtantia illud permittunt. Vt enim hiſtoria Saxonica omnis adhuc ex fragmentis conſtat, magno ſtudio et vndique colligendis: ſic quoque fontes hiſtoriae, quae fata literarum docet, tam exigui ſunt, vt non niſi riuulos protrudant, exiguos ſane, et quae ſitim vix reſtinguant. Qui igitur plura exſpectat, is ſpe ſua fallitur, niſi forte ab Hoſemanno aliquo potius doceri cupiat, quam a viro honeſto et ingenuae fidei. Quod ſi igitur nunc ipſa diſciplinae eruditae capita percenſere debeamus, vt ſecula tunc vbique fuerunt barbara, ſic et apud nos illud locum habuit. Parum profecimus in rebus ad ſaniorem Theologiam ſpectantibus, parum in Philoſophicis, parum in omni eruditione ſolidiore. Quantum porro hiſtoriae patriae, ac iurium domus Saxonicae, ignoratio illis temporibus nocuerit, iam alibi a me dictum eſt, et nunc odioſa illa repetere non placet. Interim tamen et haec eruditionis rudimenta et quaedam ſimulacra, terris noſtris conceſſa, nobis grata ſunt et accepta: ſine his enim, ſuccedente tempore, ad meliorem eruditionem peruenire non licuiſſet.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

XI.

Dissertatio De Nicolao, Episcopo Constantianensi, Dresdae sepulto.

§. 1.

Cum a natura sic homo comparatus sit, vt eius propria sit veri inquisitio atque inuestigatio: Cumque, quando necessariis curis negotiisque vacui sumus, aliquid videre, audire ac discere aueamus, vt Cicero ait in primo de Officiis; nemo mihi vitio vertet, quod de illo Episcopo, cuius Epitaphium ad aediculam Diui Bartholomaei in suburbio nostro conspicitur, sollicitus fuerim. Amor, quo in historiam patriae nostrae peruestigandam feror, nonnunquam etiam suadet, vt de rebus curiosis magis; quam vtilibus, animi causa, cogitare soleam. Prodeat igitur nunc in medium Nicolaus, Episcopus noster, post tam longam annorum seriem quasi rediuiuus.

§. 2.

Monumentum, cuius modo inieci mentionem, Episcopum exhibet in genua lapsum, literas lapidi incisas iniuria tempestatum iamdudum reddidit inconspicuas. *) Lapis autem minoris molis huic monumento

*) Non sane prorsus inconspicuae sunt, nam adhuc hodie ab oculis acutioribus formaeque litterarum, istius temporis intelligentibus maxima ex parte legi, atque ex his ea quoque quae iniuria temporis deleta sunt, suppleri possunt. Continet autem haec inscriptio,

numento impositus memoriam illius renouauit his verbis: ANNO DOMINI MCCCXCI IN VIGILIA S. MATTHAEI OBIIT REVERENDVS IN CHRISTO PATER ET DOMINVS DOMINVS NICOLAVS EPISCOPVS CONSTANCIANENSIS. Excipiunt hanc inscriptionem verba vernacula: **Darnach. 1519. jare. ist. diss. gotshaus. vfs. naw. widerumb. gebavet. hans. hammer. spjttelmejster.** Ea simul ostendunt, quo tempore renouatio veteris scripturae suscepta fuerit.

§. 3.

Nicolaum hunc Episcopum *Constantianensem* fuisse, non *Constantiensem*, quilibet, qui lapidem oculis vsurpare cupit, facile perspiciet. Perperam igitur vrbis nostrae Dresdensis Historicus [a]) *Constantiensem* legit, additque, Nicolaum se Episcopatu Constantiensi abdicasse, et Episcopi Misnensis in Pontificalibus Vicarium fuisse. Quamuis enim tunc Episcopus Constantiensis Nicolai nomine fuerit, gente Risenbergius, qui a. 1387. libere resignauit, et a Pontifice ad lautiotem Episcopen Olomucensem pro-

ptio, nil aliud, nisi ea ipsa verba, quae lapidi recentioribus temporibus huic epitaphio imposito, inscripta sunt. Atque in hoc etiam B. Auctor errauit, ipsum nempe epitaphium exhibere Nicolaum Episcopum in genua lapsum, quod non esse, optime cognoscendum erit, ex delineatione huius epitaphii satis accurata, facta ante paucos annos, a Viro quodam Antiquitatis atque Historiarum patriae doctissimo, cuius amicitia nobis voluptati est et decori, quam aeri incisam L. B. simul offerimus. *Editor.*

a) Weckii Chron. Dresdense p. 272.

motus fuit: [b]) tamen hic Constantiensis cum nostro Constantianensi nihil vnquam commune habuit.

§. 4.

Simile quid accidit Iusto Ioanni Kelpio et Christophoro Georgio Steinhardo in schedula quadam indulgentiarum altaris Gagelensis in Marchia Vetere a. 1517. data. Quamuis enim ibi, ipsis fatentibus, expresse legatur Christophorus Episcopus *Constantinensis*, [c]) tamen Episcopum Constantiensem secure satis exinde fingunt, [d]) et vt hic Episcopus in cerebro ipsorum natus constet, annum quoque immutant, contra leges historiae. Sic enim facile quidlibet fiet ex quolibet. Non igitur sufficit, si quis historicum agere cupit, vt Codices manu exaratos multos crepet, quos si allegaueris, parum exinde vtilitatis in rem tuam consequeris, vt fecit Kelpius. Multarum rerum scientia requiritur, quae si non adsit, gloriosum est proferre aureum illud *Nescio;* quam vocem illi, qui vulgo doctorum nomine haberi cupiunt, cane peius et angue fugere solent, sapientes vero subinde adhibere non verentur.

§. 5.

Sciendum igitur, et notum quoque est illis, qui rerum Ecclesiasticarum non prorsus sunt ignari, Pontificem Romanum multos subinde Episcopos creare *in Partibus*, vt dicere solent elliptice, siue *in*

b) Io. Manlii Chron. Constantiense tomo III. Pistorii p. 680. Bucelini Germania Sacra tomo II. p. 6.

c) Steinhardts *Vorrede zu Kelpens Anmerckungen über einen Gagelischen Einweihungs - und Ablass - Brief* p. 4.

d) Kelpius l. c. p. 15. 25.

in partibus infidelium, h. e. in illis regionibus, quas infideles Christianis eripuerunt, et quarum Episcopi propterea dudum esse desierunt. Vt vero ius suum in illis Episcopatibus retineant Pontifices, Episcopos huiusmodi bene multos creant, qui titulum talis vrbis sumunt, imo iurant quoque, se ad illas partes profecturos, et Euangelium ibidem annunciaturos: quod tamen nunquam ipsis in mentem venit, neque a quoquam adimpleri solet. Episcopi igitur sunt sine Episcope. Ne vero frustra Episcoporum titulo superbiant, plerumque solent aliorum Episcoporum vel Archiepiscoporum esse Vicarii vel Chorepiscopi. Frustra igitur sunt, qui vrbes talium Episcoporum, quae nomina nonnunquam satis portentosa sunt, in libellis vulgaribus Geographicis, imo etiam in maioris molis voluminibus, quaerunt. Exemplo erunt sequentes, qui a. 1342. templo villae Hennickendorf iuxta Iutrebocum indulgentias concesserunt: *Vincentius Maranensis Episcopus*, *Bernardus Ganensis*, *Petrus Galliensis*, *Thomas Thunensis*, *Matthæus Orchadensis*, *Paganus Sagonensis*, *Nicolaus Suanensis*, *Jalganus Allaricensis*, *Gregorius Opidensis*, *Thomas Securscatensis* et *Joannes Capionensis Episcopi*, qui tunc Auenione in curia Pontificis haerebant.

§. 6.

Talis igitur fuit etiam noster Nicolaus Constantianensis. Sed vbi sita est illa Constantia, a qua ille nomen sortitus est? Respondeat nobis *Tractatus de numero titulisque Cardinalium, de ordine Patriarcharum, Archiepiscoporum vniuersi orbis, ex archiuis Cancellariae Apostolicae depromtus*, qui insertus est magno operi, quod *Oceanus Iuris*, vel etiam *Tractatus Tractatuum* inscribitur.

tur. e) Ibi sub Patriarchatu Hierosolymitano, *Quarta sedes Roth, terra Arabiæ Catholicorum, et sub hac Episcopatus XXXV.* inter quos loco duodecimo est *Episcopus Constantianus.* Possem hic in Geographiae Ecclesiasticae antiquioris spatia excurrere, quae de hac Constantia non prorsus silet, sed ad rem nostram potius conuertamur.

§. 7.

De hoc Nicolao sequentia nobis cognita sunt. Primo, cognomen eius fuisse *Platovv.* Deinde ipsum primo fuisse Abbatum monasterii Cinnensis prope Iutrebocum, sed in Marchia siti: postea, quum, nescio qua de caussa, illam dignitatem resignasset, titularem Episcopum Constantianensem, simulque Archiepiscopi Magdeburgensis, Episcopi Misnensis et Caminensis in sacris Vicarium. Singula nunc ex suis fontibus asserentur.

§. 8.

De dignitate Abbatis Cinnensis testantur Monumenta Vetero-Cellensia his verbis: *Anno ab incarnatione Domini MCCCLXXXI. dedicatum est secundum altare in Capella dominorum Principum, a venerabili Platone, quondam Abbate in Czenna.* f) De hoc monasterio Cinnensi, quod alias in Germania propter conuentum emendandae monetae caussa institutum satis notum est, paucissima huc vsque typis sunt euulgata: et tantum nudus adest Catalogus Abbatum a Fride-

e) Tom. VI fol. 89.b. edit. prioris.

f) Monumenta Vetero-Cellensia, Tomo II. Menckenii p. 458 et apud Io. Knauthium Chron. Cellae Veteris Part. II. p. 29.

a Friderico Dionyſio in Collectaneis Iutrebocenſibus MSS. conſeruatus et ab Eckhardo repetitus. [g]) Et ne is quidem ſatis accuratus eſt, ſi cum paucis illis, quae hiſtoriae et diplomata memorant, comparetur. Apparet in illo Catalogo aliquis Nicolaus loco vigeſimo ſecundo, ſed poſt Theodericum, qui a. 1442. [h]) Mauritium, qui a. 1417. [i]) et Matthiam, qui a. 1472. [k]) memorantur. Vnde ſimul conſtat, quam leui brachio congeſta ſit illa nominum nudorum farrago. Nihil igitur de Abbatia Cinnenſi, nec quomodo eam reſignauerit, vel alio quocunque modo eadem exciderit, adferre licet.

§. 9.

Poſtea, titulum Epiſcopi Conſtantianenſis a Pontifice conſecutus, primum a. 1372. memoratur in Commentariis vrbis cuiusdam non incelebris, vnde excerpta transmiſit Amicus: *Notandum, Quod Anno Domini M. CCC. LXXII. ſequenti die B. Walpurgis, Dominus* Nicolaus Platow, *Epiſcopus* Conſtautionenſis, *et Dominus* Iohannes *frater eius, Plebanus in* Luckewalde, *emerunt V. marcas ad vitam eorum cenſum,* iij [l]) *marcas ſuper feſtum Martini, et* iij *marcas ſuper Walpurgis.*

g) Paul. Iac. Eckhardus praefat. ad Scriptor. rer. Iutrebocenſ. p. 21.
h) Dipl. in Scriptoribus laudatis p. 112.
i) Dipl. *in der Ober-Sæchſ. Nachleſe* V. p. 167. 171.
k) Dipl. in Script. rer. Iutrepoc. p. 113.
l) Sigla haec notat idem, quod *drittehalb*, duas cum dimidia: id quod contextus dubitanti ſat clare euincit, mihi uero in aliis documentis ſaepius occurrit.

Item Dominus Nicolaus Plate, *Episcopus Constantionensis et Dominus* Iohannes *frater eius emerunt VI. sexagenas grossorum censum, III. sexagenas super Martini et III. super Walburgis ad vitam eorum.*

Dominus Nicolaus Plate *Episcopus Constancionensis et Dominus* Nicolaus Blumberg *emerunt inuicem II. marcas Brandenburgenses ad vitam eorum censum, I. marcam super Martini, et I. marcam super Walpurgis.*

Quid sit *emere censum*, proprie huius loci non est, et iam alibi indicatum. Docebunt pluribus Scriptores Iuris Canonici. Pecunias igitur suas aliis dedit Episcopus, vt inde census annuos lucraretur.

§. 10.

A. 1376. vice Archi-Episcopi Magdeburgensis templum et altare Baruthi consecrauit, cuius rei testes literas, quia breuiores sunt, integras inserere liceat: *Nos Nicolaus Dei et Apostolice sedis gracia Constanciane Ecclesie Episcopus, Reverendissimi in Christo Patris ac Dni, Dni* Patri, *Sancte* Magdeburgensis *Ecclesie Archi-Episcopi, in Pontificialibus Vicarius Generalis, Publice recognoscimus per presentes, quod anno Domini MCCCLXX sexto, Dominica Quasimodogeniti, consecrauimus altare istud cum Ecclesia, in honorem beate Marie Virginis, ac Beatorum Petri et Paulli, cooperante nobis gratia Spiritus septiformis. Actum et datum anno et die, quibus supra. Sub sigillo.* m)

11.

A. 1381. vices Episcopi Misnensis gerens, altare in Capella Principum Monasterii Veteris Cellae dedica-

m) Dipl. *in den Vnschuld. Nachrichten* 1711. p. 802.

dedicauit, prout iam §. 8. memoratum est. Idem Plato Episcopus aliud ibidem altare consecrauit, sed cuius annus vetustate detritus agnosci non potuit: fuit tamen inter octogesimum octauum medius.

12.

A. 1385. die Mercurii post festum Paschatis, nomine Philippi Episcopi Caminensis, Stargardiae Pomeranorum, in monasterio Augustinorum, cuius ego per annos octo incola fui, altare multis reliquiis refertum consecrauit, et deuote ad illud accedentibus indulgentias promisit. Litterae hactenus ineditae, dignae sunt, quae in lucem proferantur.

Vniversis Christi fidelibus, ad quorum noticiam presens scriptum pervenerit, Nicolaus *Dei et apostolice sedis gratia Constancianensis Episcopus, Reverendi in Christo patris et domini domini* Philippi, Caminensis *Ecclesie Episcopi in Pontificalibus vicarius generalis, salutem in Domino. Altissimum nobis credimus habere propicium, cum ejus fideles et devotos per indulgenciarum remissiones ad pietatis opera facienda salubriter invitamus. Cupientes igitur reliquias de ligno sancte crucis, de Sepulcro Domini, de tribus regibus, de XI. millium virginibus, congrua reverentia et honore venerari, omnibus vere penitentibus, confessis et conuictis, qui ad dictas reliquias devote venerint et veneraverint, quocienscunque et quandocunque hoc fecerint, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus suffragiis confisi. viginti dieruu indulgencias ab unaquaque particula reliquiarum premissarum de injunctis sibi penitentiis in Domino misericorditer relaxamus. Datum* Starghard, *anno Domini millesimo CCCmo octuagesimo quinto, feria quarta infra Pascha, nostro sub Sigillo.*

§. 13.

A. 1388. Capella in Borichin, hodie Boerichen, prope vrbem Rosuinum, a Nicolao Constantianensis Ecclesiae Episcopo dedicata, omnibusque, qui eundem locum caussa deuotionis accesserint, coemeterium circumiuerint, eleemosynas dederint, testamentum in extremis legauerint vel legari procurauerint, diuina inibi audierint, aut aliquod ibi opus bonum fecerint, quadraginta dies indulgentiarum et vna karena de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxata sunt. [n])

§. 14.

Tandem a. 1391. Dresdae fato suo functus in aedicula Diui Bartholomaei, vel etiam iuxta eam, sepulcrum inuenit. Traditio apud nos vulgaris est, hunc Episcopum lepra laborasse: quum vero aqua fontis proximi vteretur, feliciter conualuisse: Postea, vt sese Deo pro hoc beneficio gratum exiberet, domum hospitalem pro aegrotis ibidem condidisse et dotasse. Verum haec narratio fidei annalium nostrorum repugnat. Illa enim domus hospitalis diu ante tempora Nicolai nostri exstructa fuit, et iam a. 1337. in documento aliquo memoratur. [o])

§. 15.

Haec ex fide historica, quantum monumenta hinc inde conquisita permittunt. Addimus nunc de traditione, cuius modo mentionem fecimus. Incerta illa est, nec a re ipsa sufficienter confirmatur. Fontem

n) Monumenta vetero-Cellensia p. 458. Litterae integrae habentur *in den Vnschuld. Nachrichten* 1719. p. 1105.

o) Weckius Chron. Dresd. p. 287.

Fontem aediculae et domui hospitali proximum melioris notae esse concedo, sed lepram sanandi potestatem ipsi nemo tribuet. Vrinam ciere solet et sudorem, et, si ab aquis vulgaribus remoueatur et purgetur, fortasse plura praestaret. Hinc a nostris cum iucunditate bibitur. Solent autem plerumque talibus aliquid addere, qui miracula vbique crepant, vt locis suis non sanctitatem modo, sed et vtilitatem, concilient. Neque tamen negauerim, in alios quoque culpam talium fabularum redundare, qui nescire aliquid turpe sibi existimant, hinc mendacia potius et fabulas proferunt, quam ignorantiam profiteri cupiunt: id quod rei historicae maximum detrimentum adtulit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

XII.

Notitia Scholae Dresdensis ante Tempora Reformationis. *)

§. 1.

Qualis Scholae facies ante illud tempus Dresdae fuerit, quo sacra Euangelica in eandem sunt illata, hodie fere ignoratur. Scholam adfuisse, scriptiuncula haec docebit. Plurima profundissimis tenebris huc vsque fuerunt inuoluta. Tacet Weckius, vrbis nostrae historicus: tacet Ioannes Bohemus, Rector

*) Quaedam ad hanc dissertat. supplementa ipse Auctor dedit §. 21. Commentationis de antiquissimis literarum in terris superioris Saxoniae fatis. *Edit.*

ctor huius Scholae ſuperiori ſeculo non incelebris, in Programmate, quo nomina Collegarum huius Scholae ab anno 1539. contexuit, quod, quum poſt annum 1668. editum ſit, in Collectione Programmatum illius a. 1665. et 1666. editorum deſideratur: tacet Io. Auguſtinus Egenolphus, Bohemi ſucceſſor, qui eundem Catalogum in Programmate anni 1678. repetiit: tacet denique Godofredus Ludouicus in Hiſtoria Scholarum, qui noua nulla ſuperioribus adiunxit. Feliciores hac in parte ſunt Schola Cygnea et Lipſienſis, quarum notitiam ſatis antiquam hiſtorici illarum vrbium ſuppeditant. Liceat interim paruulas de antiquiore Dresdenſis Scholae ſtatu micas colligere, et calcar poſteris addere, vt et de iisdem ſolliciti eſſe pergant. Debebant maiores noſtri haec curare, ſed quum, quae ad hiſtoriam patriae pertinent, ſilentio fere praeterirentur, noſtrum eſt tabulas naufragas ſollicito ſtudio conquirere.

§. 2.

PETRVM DRESDENSEM hic ſilentio praeterire nefas eſt. Hunc in patria Ludimoderatorem egiſſe conſtans eſt traditio, ſed a ſcriptoribus tantum recentioribus profecta. Primus, quantum conſtat, illud aſſerit Hieronymus Wellerus, [a]) et poſt eum Georgius Fabricius, [b]) quos alii magno numero ſecuti ſunt, qui eum ex patria, Chemnicium, et inde Cygneam ad ſcholas regendas abiiſſe narrant. Mihi res in dubio relinquenda videtur, rationibus non contemnendis adducto. Primum enim teſtes de re antiqua

a) Hier. Welleri Analecta p. 133.
b) Fabricii Annales vrbis Miſnae ad a. 1410.

tiqua, non nisi recentiores proferuntur, cum antiquiores tale quid non commemorent. Deinde scholam sub initium seculi XV. apud nos erectam fuisse, testimonio aliquo firmo et domestico confirmari nequit. Tandem nota mihi est facilitas scriptorum nostratium, qui seculo XVI. floruerunt: Hi enim solebant affirmare, quaecunque ipsis tantum probabilia videbantur, reliqui talem praecursorem facile sequebantur, quae res historiam patriae nostrae multis admodum tenebris implicuit. Caeterum de Petro Dresdensi dissertatio Iacobi Thomasii notior est, quam vt pluribus commendari necesse sit.

§. 3.

Prima igitur Scholae Dresdensis mentio certa, fit in diplomate anni 1452. vbi Rector scholae cum suis scholaribus vigilias et missas in aede S. Crucis decantasse scribitur: de qua re inferius, §. 9.

Post longum satis interuallum Rector memoratur

Mag. LVDOVICVS GOETZIVS,

cuius notitiam Bibliothecae Annaebergensi debemus, partim Arcanis eiusdem a Christiano Gotthold Wilischio, Lipsiae 1730. editis, partim etiam humanitati V. Cl. Adami Danielis Richteri, Rectoris, qui, per literas a me rogatus, longe plura, quaedam etiam certiora, subministrauit.

Patria eius fuit Werda, procul dubio notum illud in dioecesi Cygneensi oppidum, vnde se in libris suis *de Werdis* vel etiam *Werdensem* indigitauit. Vsus est titulo *Rectoris Scolarium in Dresden*, quem quater adhibuit ab a. 1485. ad 1488. Quod enim Reu. Wilischius annum 1482. ponit, [c]) id ab errore vel amanuensis,

c) Wilisch. Arcana Bibl. Annaebergensis p. 308.

amanuenſis, vel typographi profectum credo, qui numerum quinarium ex more antiquo transuerſim poſitum ɩᴖ non recte aſſecuti ſunt. Quo vſque munere hoc functus ſit, non liquet; interim manus eius nos docet aliquam hiſtoriae Dresdenſis particulam, quam Concordantiis maioribus Spirae 1485. impreſſis adſcripſerat: *Anno Domini 1491. ipſo die Viti mane igne conſumta eſt capella S. Crucis in Dresden, nec non parochia, cum omnibus aliis domibus presbyterorum circumcirca iacentibus, ac dimidietas civitatis.* Aeram recte adnotauit noſter, teſte inſcriptione hodienum conſpicienda. [d]) Illud autem obiter addere liceat, aedes parochiales tunc ad templum Crucianum ſitas fuiſſe, quamuis templum parochiale tunc fuerit Marianum, extra portam ſitum. Sed pergamus ad Goetzium.

§. 4.

Is a. 1492. cum Friderico, Alberti, Saxoniae Ducis, filio, Academiam Senenſem adiit. Sic enim inſcripſit Gellio Venetiis 1489. excuſo: *Liber Magiſtri Ludovici Gotz de Werdis, Illuſtriſſimi principis Federici Saxoniae Ducis in ſtudio Senenſi Capellanus, Anno 1492.* Semel etiam ſe *Scolarem Senenſem* ſcribit. Anno ſequenti factus eſt *Illuſtriſſimi Principis Jeorrii Ducis Saxoniae Capellanus*, quemadmodum in libello Ciceronis de vniuerſitate annotauit. Quae a. 1496. ſecum acta fuerunt, ipſe inſcripſit Bibliis Norimbergenſibus Coburgerianis a. 1480. impreſſis: *Anno dni milleſimo quadringenteſſimo nonageſimo ſexto, Ipſo die Simonis et Jude mane hora ſeptima In ſtuba*

aciali

d) Weckii Chron. Dresdenſe p. 208.

aciali [e]) *ſub capella caſtri Liptzk fuit mihi Ludowico gotz werdenſi collatum altare ſanctorum apoſtolorum pe. & pau. In Capella S. crucis Dresden ſitum ab Illmo principe Georigo, qui eo anno et menſe duxit Inclitam Barbaram Sereniſſimi Regis Poloniæ Caſemiri filiam in uxorem, præſentibus pluribus principibus ac Boronibus.*

Tabulam omniaque alia ornamenta præfati altaris propriis meis expenſis comparavi.

Anno præcedenti Incepit Incrementum Mons S. Anne. [f]) Titulo Capellani Ducis Georgii adhuc inuenio a. 1499. mactari, anno 1503. vero *Principis Georrii familiarem ſacerdotem* ſe vocat, vnde an illud exſculpi poſſit, quod Georgio Duci a ſacris confesſionibus fuerit, vt vult Wiliſchius, [g]) fateor me nondum videre. *Familiaris ſacerdos* meo iudicio eſt, qui ad familiam principis pertinet. Ab illo tempore nulla porro Goetzii noſtri memoria ſuccurrit, niſi quod libri eius ad monaſterium Annaebergenſe peruenerint, vbi hodieque ſunt ſuperſtites. Alia quaedam manus Bibliis ſuperius laudatis haec verba adſcripſit: *Biblia M. Ludobici Longini de Gotzis de Rangauia;* quae quid ſibi velint, diuinare non poſſum. Nam noſter ſe ſemper *Ludowicum Gotz de Werdis* ſcripſit, neque alio quodam nomine vſus eſt.

§. 5.

e) Quaenam illa *ſtuba acialis* ſit, fateor, me nondum habere perſpectum. *Domus acialis* mentio fit in Diplomate Dresdenſi inedito anni 1444. ſed nullum additur criterium, ex quo appareat, quid hoc verbo indigitetur. Conſtat exinde, Gloſſarium medii aeui, in rebus praeſertim Germanicis, multa adhuc ſupplementa deſiderare.

f) Wiliſchius l. c.

g) Idem p. 4. 5.

§. 5.

Porro Scholae nostrae mentio iniicitur in Vita Thomae Platteri, qui Scholam Basileensem rexit, et a. 1582. fatis concessit. Is anno aetatis decimo, Christi circiter 1509. puer cum aliquot discipulis maioribus ex Heluetia Dresdam venit, h) vbi Scholam non satis bene constitutam inuenerunt, et cameras discipulorum plenas insectorum, quae res effecit, vt post breue tempus abirent et Wratislauiam concederent. i) Quod vero tunc nomen Rectoris fuerit, non adiicitur. Sequitur igitur

M. IOANNES KNESMAERT,

cuius notitiam debemus eidem Bibliothecae Annaebergensi. In ea etenim scheda superest, in qua D. Ioannes Naeuius, Chemnicensis, qui postea Augusti Electoris Medicus fuit, vitae suae praecipua capita consignauit: vnde ad nos spectant sequentia: *Anno domini 1513. die 13. Aprilis, quae fuit dies Mercurii post Misericordias Domini, circa meridiem veni Dresdam, et erat prima profectio ex patria. Frequentaui ibidem Ludum litterarium per annum vnum integrum sub M. Joanne Knesmaert Weysenstatensi, audiui Valerii Maximi historias et Epistolas Pauli.* k) Huius viri mentio quoque fit in Tabulario Senatus Amplissimi, vbi tantum a patria, *Magister Weystadt*, prout tunc mos ferebat, appellatur.

§. 6.

h) *Er als ein Schütz mit etlichen Bachanten.*

i) Confer Vitam Platteri *in dem Alten und Neuen aus der gelehrten Welt* (Zürch, 1717. 8.) p. 298.

k) Wilischius p. 146.

§. 6.

M. GEORGIVS DOERING.

Patria fuit Dreſdenſis, primum Collega Scholae Fribergenſis, ſed ab Henrico, Duce Saxoniae, teſtimonio ſatis honorifico ad munus Rectoris in patria obeundum a. 1516. commendatus eſt, quod ipſum poſtea exornaſſe docet notitia ex Tabulario laudato inferius producenda.

THEODERICVS LINDEMANNVS.

Nihil mihi de hoc conſtat, praeterquam quod Chriſtophorus Hegendorffinus, Lypſicus, ipſi libellum, qui *Ratio Epiſtolarum conſcribendarum compendiaria* inſcribitur, dedicauit, his verbis vſus: *Spectata et eruditione et pietate Viro Magiſtro Theodorico Lindemanno Ludimagiſtro Dreſenſi.* In ipſa epiſtola haec tantum verba de noſtro habentur: *Tibi vero dedicatur, quod tu te pueris iuuandis totum impendas. Et nihil autem mauis, quam vt pueris vndeuis commodum aucuperis.* Quum libellus Hegendorffini Lipſiae quidem, quod inſignia vrbis in frontiſpicio docent, ſed ſine mentione anni facta, prodierit, tempus etiam, quo Lindemannus apud nos docuit, certum ponere haud licet.

§. 7.

IOANNES SCHEFFEL.

Hic anno circiter 1526. Scholam hanc rexit, id quod inde conſtat, quia Wolfgangus Meurerus, Medicinae poſtea Profeſſor Lipſienſis, poſtquam anno aetatis XI. ſcholam Pirnenſem adierat, inde Dresdenſem noſtram petiit, et hunc Scheffelium praeceptorem habuit. Graecas quoque literas apud nos

docuit, quumque in Meurero amorem illius linguae conspiceret, Graecum Noui Testamenti codicem ipsi dono dedit. [l]) Scheffelius autem postea Lipsiam se contulit, ibique Iuris vtriusque Doctoris et Professoris publici munere cum laude functus est. Anno 1542. in Senatum eiusdem vrbis cooptatus est, Syndici, post a. 1547. Consulis dignitate auctus, a. 1554. aetatis LII. naturae debitum reddidit. [m])

§. 8.

Quis huic successor datus fuerit, non constat. Interim ex Tabulis Senatus nostri addo notitiam sequentem:

Schulmeister vom Rath angenommen ab Ao. 16. vsque ad ann. 82.

Magister Georg Doering, 1516. auf H. Heinrichs zu Sachsen Vorschrifft.

Kilian Kotzschberger.
Magister Weystadt.
M. Melchior Rwel.
M. Matheus Hewssler.
M. Georgius Zieler.
M. Pistoris.
Magister Nicolaus Groe: (qui latine *Caesius* dici voluit.)
M. Thobias Mostell.
M. Ioannes Purgoldus.
M. Fridericus Zorler, A. 1571.
M. Bernhard Herold, Lipsicus, A. 81.

Circa

l) Barth. Waltherus in Vita Wolfg. Meureri, Meteorologiae illius praemissa.

m) Heidenreich in Catalogo Senatorum Lipsiensium, Stepneri Inscript. Lipsienses p. 187. Vogelii Annales Lips. p. 199.

Circa quem Catalogum hoc monendum, ſeriem chronologicam non accurate fuiſſe obſeruatam. Si enim Weiſtadius iam a. 1513. apud nos fuit, Doeringius a. 1516. acceſſit, habemus ſane, quod volumus. Reliquorum nomina huc vſque nobis ſunt obſcura. Qui poſt Nicolaum Caeſium, et tempora repurgatae in hac vrbe religionis vixerunt, horum ſeries nulli dubitationi eſt ſubiecta.

§. 9.

Quod igitur ad interiora Scholae noſtrae adtinet, probe diſtinguenda ſunt tempora. Primus Rectorum ſuperius prolatorum, velut ſorex, ſuo ſe indicio prodidit. Quid enim tibi ab hoc promittas, qui pro *Georgio* ſcribit *Jeorrium* et *Georigum*, pro *milleſimo milliſſimum*? vt reliqua non attingam. Melius duo poſtremi, qui ſeculo feliciore vixerunt, alter amicus Hegendorphini, et laudatus a viro laudato; alter graeca quoque tractans, id quod inſtaurationi bonarum literarum in Germania per Reuchlinum, Melanchthonem, et alios illorum paraſtatas ſuſceptae tribuendum. Et tamen credo, plurimos illo tempore nihil fere in bonis literis profeciſſe. Ratio in promtu eſt. Qui illis temporibus ſcholas frequentabant, de eruditione vera non erant ſolliciti, ſed plerumque id agebant, ut Vicarii aut Altarium Rectores fierent, qui vltra miſſam celebrandam non ſaperent: ad quam rem literae multae non requiruntur. Imo Rectores ſcholarum cum Collegis et diſcipulis bonam temporis partem in templis terebant, vt memoriis defunctorum, anniuerſariis, triceſimis, et aliis huiuſcemodi cultibus πατροπαραδότοις adeſſent. Quae res equidem pecunias quotidie ſuppe-

 ditabat,

ditabat, sed profectus discentium maximopere impediebat. Vt, quae iam profero, exemplo aliquo comprobem, Georgius Slegel, Rector altaris Visitationis Mariae et spineae coronae in Capella S. Crucis quasdam pecunias Senatui tradiderat, vt memoria Petri Berneri, fundatoris, celebraretur. Hanc fundationem quum Caspar, Episcopus Misnensis, a. 1452. confirmaret, praecepit, census annuos erogari *pro anniversario prælibatorum fundatorum omniumque fidelium animarum salute singulis annis die Dominico post octavas Epiphaniæ Domini de vespere cum vigiliis novem lectionum, et altera die cum missis pro defunctis per plebanum suosque capellanos et singulos altaristas ibidem in Dresden existentes: et magistro scolae cum suis scolaribus solenniter in antea peragendo.* Pro quo ministerio *Rectori scolæ, pro eo, quod cum suis scolaribus vigilias et missam decantarent, octo grossi* dabantur.

§. 10.

Vbinam loci Schola illa apud nos sita fuerit, certe adfirmare non licet. Templum Marianum, quod olim in suburbio situm erat, parochiale tunc erat, et Crucianum illo tempore tantum Capellae nomine veniebat. Credibile igitur hoc modo esset, Scholam potius templo primario fuisse vicinam, vtpote in qua saepius opera Rectoris et scholarium necessaria fuerit, quam in secundaria. Quia vero ex iis, quae superius dicta sunt, constat, aedes Parochi siue Plebani templo Cruciano potius fuisse proximas, idem de schola quoque locum habuisse credo. Fortassis haec ipsa domus, in qua adhuc versamur, et olim schola fuit.

Patro-

Patronus autem Scholae fuit Senatus, quod ex §. 8. constat, nisi quod Henricus Dux ipsi Doeringium commendauit.

De Collegis reliquis nihil huc vsque constat, vt nec de aliis, quae ad notitiam alicuius scholae pleniorem spectant. Si quae vero mihi in posterum occurrent, aut si historiarum periti mecum quaedam communicabunt, ea futuro tempore in medium proferre non omittam.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

XIII.

Notitia Bibliothecae Scholae Dresdensis Crucianae.

Ea est nostri seculi felicitas, vt bonae literae crescant, et omnia subsidiorum genera, quae ad prouehendum illarum florem conducunt, quaeque olim literarum cultoribus inuidebantur, nunc omnibus pateant. Certatim iam excutiuntur bibliothecarum foruli, et inde promuntur, quae ad eruditionem indies perficiendam aliquid conferunt. Quum igitur schola Cruciana per gratiam diuinam, hac quoque felicitate gaudeat, vt Bibliothecam possideat, quamuis non maximae molis, non tamen prorsus contemnendam, liceat quaedam, quae ad pleniorem illius notitiam pertinent, cum orbe erudito communicare. Omnis autem haec tractatio in partes duas dispescetur, quarum prior historiam Bibliothecae nostrae, altera quaedam notatu digna Lectoribus enarret.

§. 1.

Primam Bibliothecae huius originem nemo accurate poterit explanare. Duo fuerunt olim Dresdae monasteria, sed quorsum libri vel Bibliothecae illorum peruenerint, incertum est. Vnicus liber adest, cui haec verba inscripta sunt: *Liber conventus Dresdensis, emptus in Tuwinghen Anno M. CCCC. 98.* Mihi vero credibile est, hunc potius ad Augustinianos Palaeo-Dresdenses olim spectasse, quam ad Fratres minores, quorum monasterium arci prope contiguum fuit. Adest alius Ioanni Cochlaeo inscriptus, sed a quo illud factum sit, id quidem incertum est. Sequitur alius liber, cui *Thomas Churferius* nomen inscripsit, addito anno aerae Christianae 1533. Hunc vero constat primum ex Euangelicis aedis Marianae Pastorem fuisse. [a]) Sed neque hunc principem condendae Bibliothecae possumus iudicare. Libri, quod notum est, varie disperguntur, et variis fortunae mutationibus sunt obnoxii: igitur ex his, quae praedicta sunt, nihil ad historiam aut originem Bibliothecae nostrae concludas.

§. 2.

Certiora vero sunt, quae iam sequuntur. Adsunt enim libri numero fere triginta, quibus haec verba sunt inscripta: *Liber dedicatus memoriæ Clarissimi Viri D. Blasii Grunwaldi medici, Patris ac Soceri Opt. meriti, ab hæredibus ad publicum studiosorum vsum.* Huius igitur viri memoriam, apud nostros fere obliteratam, paucis nunc refricare animus est.

a) C. A. Freybergs Historie der Dresdnischen Frauenkirche p. 12.

est. Quis, genus, vnde domo, id quidem nos latet: coniicimus ipsum patria Lipsiensem fuisse, quia familia Grunewaldorum in ea vrbe quondam viguit. A. 1514. in Academia Lipsiensi literis incubuit, et Quadripartitum Logices a quodam illorum temporum tenebrione et morosopho sibi explicari audiuit: Sic enim ipse libro dicto inscripsit. Post medicinae studio operam nauauit, Georgio et Henrico, Ducibus, Mauritio denique et Augusto, Electoribus Saxoniae, non in aula solum, sed et in castris et aliis itineribus per annos XLII. Archiatri vices sedulo praestitit. Testantur hoc literae Augusti Electoris gratia plenissimae, a. 1554. datae, de Henrico vero singulatim Bernardus Freydigerus. [b]) Quam quidem operam ipsius, heri serenissimi gratam habuerunt, et constat, Mauritium Electorem ipsi a. 1549. tria millia a. 1554. Augustum duo millia, et a. 1557. mille florenos largitum esse, vt gratiam suam prolixam, qua vigebat, ipsi ostenderent. Vxorem duxit Elisabetham, Ioannis Hutteri, Senatoris et Aedilis Lipsiensis filiam: ex qua suscepit *Ioannem*, qui, postquam in Schola prouinciali Misenensi, doctore Georgio Fabricio, et in Academia Lipsiensi, bonas literas tractauerat, militiam primum secutus est, post mercaturam fecit, a. 1574. Senator, a. 1595. Praetor Lipsiensis obiit a. 1628. aetatis LXXXIX. [c]) *Paullum*, in Regimine Dresdensi Circuli Thuringici Secretarium: et *Barbaram* Dauidi Peifero, Cancellario Saxonico, nuptam. [d]) Ipse tandem annos

 natus

b) Freydinger in vita Henrici, p. 154. edit. Glafeyanae posterioris in Nucleo histor. Saxonicae.
c) Heydenreich in Catalogo Senator. Lipsiensium.
d) Michaelis Inscriptiones Dresdenses p. 163.

natus LXXXVII. fatis concessit. Foetus ingenii reliquit nullos, nisi quod *Consilium* typis expressum exstet *pro robusto pharmocopaeo Magdeburgico, qui ingentes in cruribus et aliis membris percipiebat dolores, non sine continuo catarrho, tumore crurum eorumque patente vlcere* praescriptum a. D. D. Iohanne Naeuio et D. D. Blasio Grunewalt, Electoralibus Medicis Saxoniae, Dresdae datum d. 11. Maii 1560. ita tamen vt Grunewaldus noster illud literis mandauerit. Exstat in Consiliis Obseruationibus et Epistolis medicis a Ioanne Wittichio Lips. 1604. 4. editis, p. 473.

§. 3.

Eodem fere tempore matrona quaedam, Vrsula Pitschia, testamento quaedam bibliothecae nostrae legauit, vnde pauci quidam libri aureas literas exhibent, quibus haec verba sunt expressa: *Ex testamento honestæ matronæ, Vrsulæ Pitschin, filius Nicolaus Pitsch, in vsum Scholasticum emebat. MD. LXII.* Cuius ordinis maritus huius matronae fuerit, non constat. Familiam vero illis temporibus in hac vrbe floruisse, docent nomina Thomae Pitschii, qui sub finem illius seculi, Collega Scholae nostrae tertius fuit, et fratris eius Martini qui apud Palaeo-Dresdenses Cantoris munere functus est.

Succedit liberalitas Wolfgangi Eulenbeckii ICti; et Consiliarii Aulici, cuius vitam, hoc ipso nomine, quia Scholae et Bibliothecae bene fecit, ante triennium singulari schedio in lucem protraxi. [c]) Is paullo

c) Nihil ex illo tempore mihi occurrit, quod illi possim addere; nisi quod de praedio Gossigiano §. 10. lux clarior mihi affulsit, dum ex certis documentis perspexi,

paullo ante quam ex hac vita discederet, vxori, filiae ac genero mandauit, vt suo nomine se Deo gratas exhiberent, Ecclesiae et Scholae huius vrbis pecunias aliquas legando. Ex hoc igitur beneficio Bibliotheca publica, quae tunc in aede Cruciana adseruabatur, quotannis florenis decem aucta est, neque vsque ad haec tempora quicquam de illo nobis periit.

Operibus Ouidii cum Commentariis Variorum, quae typis Wechelianis a. 1601. maiore forma sunt edita, haec nomen alicuius fautoris Bibliothecae nostrae mori non sinunt: *Am Tage Laurentii dieses 1601. Jahrs hatt Fraw Anna, Laurentii Seemüllers, weilandt Bürgers vnnd viertelmeisters allhier zu Dresden seligen, hinderlassene witbe diese* Tres Tomos Pub. Ouidii Nasonis *williglichen folgen lassen, welche itzt gedachter Jhr Man seliger zu seinem gedechtnus den Preceptoribus dieser Stadt Schulenn alhie nutzbarlichen vnd fruchbarlichen zu gebrauchen Jn Testament verordenet vnnd gestifftet. Gescheen am tage vnd Jahr, wie oben.*

§. 4.

Huc vsque Bibliotheca in aede proxima Sanctae Crucis adseruata fuit, quod ex instrumento legati Eulenbeckiani constat, ita tamen, vt ex iis, quae a me superius prolata sunt, satis appareat, Scholae portionem ibi simul repositam fuisse, quia libri *in vsum scholasticum, et pro commodis Praeceptorum* dedicati fuere. Placuit autem postea tum Ephoro post fata quoque celeberrimo, Christophoro Bulaeo, tum Amplissimo

 Sena-

spexi, vtrumque Peiferum et Eulenbeckium, praedii illius, in duas partes diuisi, possessorem exstitisse.

Senatui, vt Bibliotheca vetus, publicis destinata vsibus, e squalore et tenebris suis in lucem publicam protraheretur, eaque diuisa, libri theologici et ad rem sacram pertinentes, Max. Reuerendo ad aedem S. Crucis Ministerio: reliqui Philosophici, Philologici aliique id genus libelli scholastici, scholae vsibus transscriberentur. f) Auctor eius consilii erat Adamus Christophorus Iacobi, ICtus magni nominis, qui tum Syndicus erat ciuitatis Dresdensis, post in supremo Prouocationum Collegio Consiliarius. Is, quum literarum studia amaret, et ipse Bibliothecam non exiguam possideret, hanc quoque Bibliothecam carceri velut inclusam (nam locum habebat in carcere Clericorum, quem nouo vocabulo prisonam dicimus) in lucem protraxit. Pars igitur scholae debita, tradita est Io. Augustino Egenolpho, Conrectori; Ioanni enim Bohemo Rectori, qui senex erat septuagenarius, noua cura molesti esse tunc nolebant. Factum est, quod modo enarraui, mense Ianuario MDCLXXI. Notitiam huius rei exactam dedit Catalogus librorum theologicorum illo ipso anno conscriptus. Sed prima tantum Bibliothecae rudimenta, et vt Gelenius noster cum Symmacho ait, Bibliotheculam tunc habuerunt, maiora incrementa discipulis et successoribus vtenda, fruenda permittentes.

§. 5.

Is igitur, cui diuina benignitate concessum est, vt largiores huius Bibliothecae accessiones videret, fuit decessor meus Ionas Gelenius, in cuius laudes iam excurrere non est animus. Ille cum per annos fere qua-

f) Gelenii progr. memoriae Dauid. Thiemii a. 1722. exaratum, p. 3.

quadraginta Scholae nostrae praefuerit, inter alia quoque id sibi negotii datum esse existimauit, vt eam post se meliorem relinqueret. Proinde auctor fuit Tobiae Fiedlero, Chirurgo apud nos celebri, vt stipendium iuueni in Academiis versanti, sed qui in schola nostra bonas literas tractauerat, vltimis voluntatis suae tabulis constituerit. Inter alia quoque ab anno cIↄ Iↄc xc. animum Bibliothecae augendae adiecit, fautoribus quibusdam hinc inde sollicitatis, qui vel singulos vel aliquot libros nobis largiti sunt. Hos ille cum cura annotauit et libro, qui rationibus Bibliothecae destinatus est, praefixit. Inuenias ibi, vt verborum faciam compendium, Berischios, Dornblüthios, Velthemios, Hahnios, Kühnios, Strobelios, Vogleros, Sebischios, Loescheros, Beckeros, Gellios, Welleros, Carpzouios, Loeschios, Winkleros, Longolios, Zimmermannos, et alia liberalium virorum nomina, quae longum esset enarrare, sed tamen nobis semper in pretio erunt quam diu apud nos literae cum Bibliotheca florebunt. Ab a. cIↄ Iↄc xcii. illud inualuit, vt quiuis Alumnorum, tum accedentium, tum abeuntium, octo grossos Bibliothecae solueret.

§. 6.

Eodem Gelenio suasore et impulsore, Vir Consultissimus, Dauid Thiemius, Supremi Consistorii Secretarius Regius ac Electoralis, qui a. cIↄ Iↄcc XXI. d. 2. Sept. septuagenario maior, e viuis excessit, sexcentos ex Bibliotheca sua Auctores Musis Crucianis testamento suo transscripsit, qui libri non solum eleganter et munde compacti, sed et, si materiam spectes, ex omni scientiarum et artium genere exquisiti sunt, et singulare Bibliothecae nostrae ornamentum existunt. Hos postquam Gelenius et Gellius selegissent,

ſent, noua acceſſit munificentia Ampliſſimi Senatus noſtri, qui forulos clauſos confici iuſſit, in quibus libri aſſeruarentur. Gelenius vero anno ſequenti vitam et laudes Thiemii ſingulari ſchedio enarrare non omiſit. Porro cum fatis conceſſiſſet Ephorus de Eccleſia Dresdenſi, imo et Saxonica, meritiſſimus, Chriſtophorus Schraderus, Bibliothecam copioſam relinquens, illa occaſione vtendum eſſe ratus Gelenius, ab Ampliſſimo Senatu eiusque aerario impetrauit centum imperiales mutuos, bonis libris impendendos, quos elapſo quadriennio reſtituit. Sic igitur de poſteritate non hoc modo ſolum meritus eſt Gelenius, quod ingenia formauit, quae iam eccleſiis et reipublicae proſunt, ſed et, quod plurium ſeculorum commodis proſpexit, ſi numen clementiſſimum hanc nobis gazam literariam ſartam atque integram ſeruare dignetur. Eidem debemus imaginem aeri inſculptam, quae inuolucris librorum auro foliato imprimitur, et mulierem oſtendit, quae dextra crucem, ſiniſtra librum tenet, additis in circulo verbis: EX BIBLIOTHECA SCHOLAE CRVCIANAE DRESD.

§. 7.

Poſtquam, Deo rem dirigente, in locum Gelenii ſuffectus ſum, curam Bibliothecae non poſtremo loco habui. Quumque Gelenius, ſenio et laboribus feſſus, libros in ſcriniis locaſſet, quo ordine comparati fuerant, ego alium elegi, vt ſcilicet libri ſingularum artium et ſcientiarum coniungerentur. Igitur Catalogum nouum confeci, et mea manu deſcripſi, in quo non ſolum libri iuſta ſerie locati exhibentur, ſed et ſingula Collectionum maiorum opuſcula enotaui et ſuo loco poſui, ſic, vt index ille nouus

iuſtum

iustum aliquod maioris formae volumen exhibeat. Poterit aliquando, qui in locum meum succedet, alterum indicis volumen conficere, nomina singulorum auctorum serie alphabetica exhibentem, quae res iuuentuti non erit incommoda. Vir doctus tali opus non habet, quia quiuis, in Bibliotheca mediocriter tantum versatus, omne librorum genus facillimo negotio inueniet. Non omisi, fautores quosdam rogare, qui libris aliquot nos mactarunt, sed pudori ipsorum consulens, nomina non addo, quippe qui a posteritate potius, quam a me, erunt laudandi. Accessio quaedam redituum facta est ex legato viri doctissimi, Io. Adami Lempii, Artium Magistri, et in hac schola Collegae Tertii, bene meriti, qui imperiales quinquaginta Bibliothecae sic reliquit, vt post fata coniugis, illi nobis soluerentur. Postquam igitur illa, Viro Admodum Reuerendo Io. Gottlob Frenkelio, secundis nuptiis iuncta, quod mortale habebat, deposuisset, inde ab anno CIↃ IↃCC XXXIII. Bibliotheca quotannis circa festum Michaelis vsuras illius pecuniae lucratur, libri vero inde comparati, nomen Lempianum habent praefixum. Paullo post, anno scilicet seculi, quod scribimus, XXXVII. consilium cepi Ephemerides Eruditorum, gallica lingua conscriptas, ita comparandi, vt a viris quibusdam in hac vrbe legerentur, perlectae vero Bibliothecae nostrae accessio fierent. Aperui illud viris quibusdam summis et amicis, qui calculo suo illud facile probarunt, ita, vt singuli quotannis imperialem pro coemendis libris soluerent, et libelli singulis hebdomatibus ex ordine perlegendi traderentur, deinde Bibliothecae insererentur. Et hoc quidem modo Bibliotheca quotannis augetur his libellis, quorum pre-

pretium ad imperiales fere ſedecim extenditur. Quum porro numerus librorum quotannis nouus accederet, et foruli reponendis illis ſufficere vltra nollent, nuper admodum ſcrinia noua acceſſerunt, vt nunc ampliori ſpatio gaudeamus, et ſingula ſingulatim repoſita conſpiciantur.

§. 8.

Habet igitur haec Bibliotheca noſtra, tria fere voluminum millia maioris et minoris formae, libros non raros, non ad oſtentationem compoſitos, ſed tamen bonos, vtiles ac neceſſarios, ex quibus docentes pariter ac diſcentes proficere, et ad communem omnium vtilitatem,

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,

quod praeclarum vtile ac neceſſarium eſt, decerpere poſſunt. Hinc libri noſtri non praeceptoribus ſolum inſeruiunt, ſed et aliis viris doctis, qui illorum vſum ſibi concedi rogant, et reſtitutionem honeſtam promittunt. Sed et iuuentus noſtra iisdem iure quodam ſuo vtitur ac fruitur: diligentioribus ſcilicet, et qui bonae notae ſunt, libri perlegendi conceduntur: quod ſupereſt, illis, qui bonorum librorum notitiam ſibi comparare cupiunt, foruli noſtri certo tempore aperiuntur, et perluſtrandi committuntur.

§. 9.

Nunc quoque rariora et ſingularia Bibliothecae noſtrae memoranda eſſent, verum non eſt, quod lectores hic a nobis multum ſibi promittant. Quum reditus noſtri non ſint largi, tum qui ante me Bibliothecam curarunt, tum ipſe, non ſoliti ſumus comparare libros raros, et qui ſplendorem potius, quam vtilitatem promittunt, ſed bonos et vtiles, vnde commodum, quod modo memorauimus, ad

nos

nos possent redundare. Ex Codicibus manu exaratis non nisi duo ad nos peruenerunt, alter est chartaceus et *Breuiarium* continet secundum ritum Ecclesiae Misnensis, scriptum a. 1463. In fine leguntur haec: *Finitum per Nicolaum Stolcze de Hayn, anno Domini M. cccc lxx primo, feria quarta post Dominicam Oculi mei.* Non memini, hoc mihi nomen occurrere, quamuis in historia Episcopatus Misnensis non leuiter fuerit versatus.

Alter Codex est membranaceus, qui *Metamorphoses Ouidianas* complectitur. In principio voluminis legitur: *Liber Dni Pauli Prachtbecks:* In fine: *In Mechlinia emptus Sabato post Johannis Baptiste, anno* rc. *93. dimidio floreno Renensi ac duobus stuferis.* Scriptus est charactere minuto, sed satis eleganti, seculo XII. aut XIII. notae autem non est optimae. Comparaui librum primum cum editione Cnippingiana et obseruaui, Codicem hunc nostrum semper sequi lectionem vulgatam et deteriorem. Alio autem tempore editionem Burmannianam cum nostro conferam, et si quid bonae frugis in illo occurret, et si scholia interlita et adiecta singulare quid aut notatu dignum offerent, singulari scriptiuncula docere non omittam. *)

Habemus porro duas vrnas, cinere et ossibus repletas, sed vnde prodierint, maiores nostri non annotarunt.

§. 10.

*) Quod an fecerit, nescimus, de hoc tamen certi, eum nunquam aliquid postea de hoc Codice typis mandasse. *Editor.*

§. 10.

Adſunt libri ſat multi primis typographiae naſcentis incunabulis excuſi, ſed antiquitate ſuperat omnes editio Iulii Caeſaris a. 1473. ſine mentione loci ac typographi, impreſſa. In ea primo loco habetur *Iulius Celſus de geſtis Iulii Caeſaris*, qui libellus poſt hanc editionem, diu ſatis in obſcuro latuit, donec eundem Ioannes Georgius Graeuius protraxit, et cum Iulio Caeſare a. 1697. 8. edidit, ſtricturis aliquot in textum non ſatis bene expreſſum additis. Opus Iulii Celſi in libros non eſt diſtinctum, ſed tamen conſtat ex ipſa hac editione noſtra, in octo libros eundem fuiſſe diuiſum. Sic enim habent verba poſt librum, vt puto, ſeptimum: *Hic incipit octauus Commentariorum liber, quem fecit Iulius Celſus: ſeptem autem primos et vſque ad hunc paſſum fecit ipſe Caeſar, quamuis hic auctor aliquot in locis contradicit, et male, Cicerone teſte, et ipſo Celſo in prologo ſuo etc.* Quae verba quid ſibi velint, nemo facile extricabitur, quum neque Cicero de Iulio Celſo aliquid memoret, neque prologus huius Celſi ſuperſit. Interim non video, quo iure Graeuius hoc Celſi opus in tres tantum libros diſtinxerit, quum ipſe octaui mentionem faciat. Sub finem Celſi leguntur haec: *Explicit liber. Deo Gracias. etc. Anno Dni M. CCCC. LXX Tercio.* Obſeruo literam L. maiuſculam, habere lineam rectam duplicem; ſubductam vero, qua hodie vtimur, non adeſſe. Quae res obſeruata fortaſſe aliquando typographum nobis prodere poterit, quando ſcilicet aliud eius aeui volumen ſimili characterum genere impreſſum in aliqua Bibliotheca erit obuium. Sequitur in volumine noſtro *Iulius Caeſar de bello Gallico*, poſt cuius librum ſeptimum haec anno-

annotantur: *Suprascriptos VII. libros de bello Gallico composuit ipse Caesar. Sequentem autem Iulius Celsus, Caesaris familiaris.* Sub finem huius libri octaui, quaedam in hoc exemplari turbata sunt, quaedam etiam omissa: quae res mihi primo negotium facessiuit. Vltima totius Codicis sunt haec, literis minoribus Longobardicis excusa: *Finiunt feliciter Libri Commentariorum Iulii Caesaris de bello Gallico. lxxiij.* quae postrema rursus annum impressionis designant. Bellum ciuile Caesaris non est in hoc nostro volumine, an simul excusum sit, non dixerim. Quod superest, duplex commatum genus, in hoc libro obseruaui: alterum lineolam talem (*/*) alterum exhibet punctum cum superposita lineola obliqua (*;*) quod si inuertatur, τελέιαν ςιγμὴν denotat. Liber hic vna cum aliis Grunwaldianis ad nos peruenit, cedro sane dignissimus. Habemus quoque *Sallustium de bello Iugurthino*, cuius editio nomen typographi, anni et vrbis non exhibet, sed ad vltimam typographicae artis originem merito est referenda. Quia vero editio Cortiana hanc nostram in consilium adhibuit, nostrum iam non est, plura de eadem memorare.

§. 11.

Rarioribus Bibliothecae nostrae merito adnumeramus librum Petri Tatereti, Witebergae a. 1504. impressum. Constat partibus tribus. Primae titulus est: *Expositio magistri Petri Tatareti super summulas Petri Hispani cum allegationibus passuum Scoti doctoris subtilissimi.* Secundae: *Expositio M. Petri Tatareti super Textu logices Aristotelis cum allegationibus etc.* Tertiae: *Clarissima singularisque totius philosophie nec non metaphisice Aristotelis magistri Petri Tatareti expositio, ac passuum Scoti allegatio.*

 Sin-

Singulos hos titulos ornat imago ligno incisa, quae Episcopum exhibet, ornatu solito conspicuum, praeterquam quod sinistra sagittam tenet. Supra caput eius apparent gladii Electorales, sub pedibus insigne Saxonicum cum ruta, a duobus lateribus leo Thuringicus et Misnicus. Circum picta sunt haec verba. S · QVI. SEQVITVR. ME. NON. AMBVLAT. IN. TENEBRIS. 1503. Liber ipse tanti non est, vt eius mentionem faciamus, sed cura Principis, qui meliori seculo dignus erat, et sub finem operis ita praedicatur: *Commentationum Tattareti, viri praeclari in doctrina Scoti, super Aristotele et Petro Hyspano finis: Impressarum Albiori in Academia noua: mandato et expensis illustrissimi Principis et Serenissimi dni. domini Federici Ducis Sassonie Sacri Romani Imperii Archimarscalci et Principis Electoris Landgravii Thuringie et Marchionis misne: per Baccalarium wolfgangum Stückel Monacensem Anno salutis quarto supra Millesimum quingentesimum. Sexto kalendas Septembris Reg. divo Maximiliano Romanorum Rege.* Qui scripta Lutheri sedulo euoluit, is etiam obseruabit, crebram Tartareti, vt ipse scribit, mentionem in illis fieri, dum ostendit, mysteria Tartareti sibi non fuisse incognita.

§. 12.

Dum Academiae nouae mentionem facio, incidit alius libellus, cuius alibi mentionem factam esse non memini. En tibi titulum: Εισαγογη προς των γραμματων ελληνων. *Elementale Introductorium in idioma Grecanicum. Contenta in hoc Opello. Alphabetum Grecum et eius lectura. Abbreviationes et colligaturæ. Oratio dominica. Salutacio angelica. Symbolum sanctorum patrum. Benedicite. Gracias. Salutacio*

tacio Mortalium ad Virginem Mariam. Miſſa de Diva Virgine. Evangelium Diui Joannis. Canticum Mariæ. Canticum Angelorum. Oratio ad Deum. Dicteria ſeptem ſapientum. Aliquot Pſalmi penitenciales. Haec omnia Grece cum interpretacione latina. Sub finem haec leguntur: *Formatum Typis Wittenburgii in officina Joannis Gronenbergii Anno MDXI.* Conſtat plagulis tribus formæ quadripartitæ. Poſt titulum hec leguntur auerſa pagina. HERMANNVS TREBELIVS NOTIANVS P. *Laureatus ſtudioſæ iuuentuti et ſacerdotibus Chriſto devotis: ut græcas literas adiſcant.*

Eloquio Cadmi: ſtudeas generoſa iuuentus:
Imbue et externis: barbara labra: ſonis.
Te peregrina docent: quæ ſint mage grata latinis
Grammata: quæ Danao littera fonte cadat.
Tu quoque Cecropios: moneo: percurre libellos:
Cui cinxit ſacrum: raſa corona: caput.
Plura tibi Argolicæ præbebunt commoda chartæ:
Namque habet Argoas: pagina ſacra: notas.
Attica cum ſapiens: cantabis χϱιστεελεησον:
Atque canes graphice: græcula verba: choro.

In ipſo libello obſeruaui ſequentia. Pronunciatio praeſcribitur, prout hodieque in Saxonia ſuperiore vſu recepta eſt, niſi quod ν vocetur gni. Illud ν porro ſemper litera maiuſcula exprimitur. Sigma finale et Iota ſubſcriptum, accentus item et ſpiritus, hic prorſus exſulant. Totus libellus forma interlineari, quam vocant, compoſitus eſt, ſic, vt ſingulis verſibus, graeca Latinis reſpondeant. Graeca non ſatis accurate ſunt expreſſa, quod ſtatim titulus indicat. In oratione dominica exſtat ϱισαι: in Doxologia, δωξα πατϱι και ηω: reliqua lubens omitto.

Et condonanda ſane ſunt illi aeuo, quum Graecitatis, vt ita loquar, crepuſculum eſſet.

Eodem volumine habetur *Antonii Codri Vrcei Rhythmus die diui Martini pronunciatus*, ibidem impreſſus quem idem quoque Trebellius iuuentuti commendauit, vt ſe orgiis Martini ad pocula inuitarent. Haec vt et quae ſuperius prolata ſunt, eo libentius adduxi, quia prima tempora celeberrimi Muſarum domicilii, et guſtum quoque illius ſeculi, aliqua ex parte illuſtrant.

§. 13.

Adſunt multi alii libri bonae frugis, editiones Aldinae, inter quas Rhetores Graeci, Collectio Poetarum, in qua Theocritus primum locum occupat, alia, quae fabulas Aeſopi praefert; Stephanianae, Dionyſius Halicarnaſſenſis et Dio Caſſius: Opera Ciceronis a Carolo Stephano a. 1555. impreſſa, typis tam elegantibus, vt nitidiorem aliquem librum me vidiſſe, vix meminerim. Habemus libros bonos pro iuuentute noſtra, Grammaticos, Lexica, Oratores, Poetas, Hiſtoricos, graecos et latinos, cum annotationibus et indicibus virorum doctorum, qui nemini bonarum literarum cupido negantur. Sunt nobis tales, qui Hiſtoriam literariam tradunt, et notitiam bonorum librorum propinant. Adſunt Collectiones Scriptorum Germanicorum tantum non omnes, vt taceam Hiſtoricos alios, ſic vt ex omnibus regionibus quidam hic occurrant. Neque deſunt ſcriptores ad philologiam ſacram ſpectantes, Commentatores item Biblici bonae frugis. Patres Eccleſiae veteris adhuc rari apparent. Haec igitur cura ſupereſt poſteris, vt hoc librorum genere non prorſus deſtituantur.

XIV.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

XIV.

Praetermiſſa quaedam de Conrado Kauffungo eiusque familia.

§. 1.

Anni fere trecenti ſunt elapſi, quum Prouidentia diuina ſingulare aliquod exemplum curae ſpecialis de Sereniſſima domo Saxonica exhibuit. Conceſſit illa equidem, vt homines perfidi plagium illud committerent, terraeque Saxonicae in magnum terrorem coniicerentur. Sed cauerat tamen ſimul ſapientiſſime, vt exitus rei malo conſilio ſuſceptae eſſet feliciſſimus, Principesque abducti poſt breue tempus libertati ſuae reſtituerentur. Res haec notatu digniſſima multorum auctorum diligentiam exercuit, digna vero eſt, cuius variae περιϛάσεις ſollicitius euoluantur, quum multa huc pertinentia adhuc recondita lateant. Interim ego quaedam de ipſo Kauffungio, eiusque familia, ab aliis huc vsque praetermiſſa, ex hiſtoriae Saxonicae fontibus ſupplere conabor.

§. 2.

Kauffungiorum familia nomen habet a villa *Kauffungen*, haud ita procul ab vrbe Penicenſi diſſita. Nomen Conradi in eadem iam ducentis ante plagium annis vſitatum fuit, ſi verum eſſet, quod in deſcriptione monaſterii Bürgelenſis memoratur: Conradum ſcilicet Kauffungium ibidem Abbatis dignitate gauiſum, qui a Friderico Seuero, Electore Saxoniae a. 1228. confirmationem omnium priuilegiorum illius monaſterii impetrauit, docente id diplomate, quod in

Probarionibus numero V. productum esse asseritur.[a]) Varia hic sunt monenda. 1. Fridericus Seuerus non fuit Elector, sed tantum Landgrauius Thuringiae et Marchio Misniae, dignitas autem Electoralis demum post illius tempora ad domum Saxonicam peruenit. 2) Fridericus ille Seuerus non a. 1228. vixit, sed seculo sequente XIV. quippe qui terras suas rexit ab a. 1322. ad 1349. 3. Diploma, ad quod prouocatur, in toto illo opere non habetur. Interim Abbatem illum non plane reiectum velim, donec diploma illud iuris publici fiat. Alius contra ex hac familia, Henricus Kauffungius, a. 1431. Abbas monasterii laudati fuit, et contra Senatum Bürgelensem querelas multas effudit:[b]) qui tamen in serie reliquorum Abbatum non comparet.

§. 3.

Antiquissimam vero mentionem huius familiae, quae certa est, ab a. 1283. exhibere possum, quo Tunzoldus et Henricus de Coufungen, Henrici filii, memorantur. Hi, pro more illorum temporum, monasterium Buchense iuxta Leisnicium variis modis laeserant, et similia in posterum metuere iubebant. Hinc Abbas et Conuentus illius, quo ab omni impetitione liberi essent, decem marcas argenti ipsis exsoluerunt, praesentibus testibus, quos diploma adiunctum suppeditat:

Nos Tyzmannus *Dei gratia Junior Lantgrauius*, Theodericus de Rochsperc, *et* Heinricus *patruus ipsius de* Cinninberc, *Burggravii dicti de* Aldenborc, *Notum esse volumus omnibus tam præsentibus, quam futuris,*

a) *Gleichenstein Beschreibung von Bürgel p. 13.*
b) *Idem in den Docum. p. 75.*

turis, litteram hanc visuris, quod cum viri strenui, Tunzoldus *&* Heinricus *filii Domini* Heinrici de Coufungen, *Religiosos viros Dominum abbatem & conventum de* Buch *pro qvibusdam causis impeterent, eosqve in rebus dampnificare proponerent, et nullam ad eosdem habere concordiam sine pecunia consentirent, tandem antedicti Dominus abbas et conventus de* Buch *utilius arbitrati dare aliqvam summam pecuniæ, qvam majori dispendio subjacere, vt rerum suarum læsiones evaderent, prædictis* Tunzoldo *et* Heinrico *fratribus decem marcas argenti, prout ab ipsis reqvisierant, contulerunt. Sæpedicti vero* Tunzoldus *&* Heinricus *hanc recipientes pecuniam, omni impetitioni et iuri, qvod contra prædictos dominum abbatem et conventum de* Buch *habebant, vel tunc habere poterant, absolute renunciauerunt, et qvicqvid omnino contra ipsos offensionis vel rancoris habuerant, per omnia remiserunt, hoc addentes, qvod prædictos fratres vel homines eorundem in nullo debeant nec velint molestare seu lædere vel turbare, sed rebus et corpore, consiliis et obseqviis, in qvantum valuerint, promovere. Ne autem huic renunciationi vel compositioni factæ cujusqvam malitia valeat contraire, præsentem litteram super eo scribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine confirmari. Testes hujus rei sunt Frater* Theodericus *dictus de* Coldiz, *Commendator,* Heinricus *dictus de* Vroburc, *sacerdos,* Fridericus *dictus de* Butstete *miles,* Regnardus *dictus de* Rochliz, Hermannus *dictus de* Mugelin, *fratres de* Sillen, Heinricus *miles de* Trebenshayn, Hermannus *miles de* Cemin, Heinricus de Wolkenberc, Johannes de Wimar, Heinricus *marscalcus de* Caldenburn, Albertus de Stesciz, Johannes de Buiendorf, *et alii*

qvamplures. Acta sunt hæc anno Domini MCCLXXXIII. sexto idus Decembres.

§. 4.

A. 1286. 1290. et 1304. Volscho, Volzc, (pleno nomine Volckwinus) Kauffungius memoratur, qui Dominorum de Colditz *miles* fuit, vasallum hodie vocamus. Inter testes occurrit in diplomatibus ineditis, quae prolixitatem vitans iam omitto. In vltimis litteris, quarum versio germanica tantum edita est, [c]) *equitis* titulo gaudet, in qua re falsus est interpres. Quamuis enim vox *militis* in historia nostra sequentibus temporibus *equitem* denotauit, illis tamen temporibus, de quibus hic agitur, vasallum significat, et quidem talem, qui beneficium siue feudum castrense possedit.

§. 5.

De fratribus modo dictis, Tunzoldo et Henrico, sequentia porro adnotata inueni. A. 1298. die Vincentii, quae est 22 Ianuarii, H. (Heinricus) Comes de Nassowe, Iudex prouincialis in terra Misnensi ac Plisnensi a Serenissimo Domino Adolfo Rege Romanorum et semper Augusto constitutus, litteras dedit, quibus confitetur, Rudolphum Abbatem et conuentum in Buch, a Conrado, qui Tunzoldus nominatur, dicto de Coysungen, villam Nuenhain, cum iudicio magno ac paruo, ac omnibus aliis iuribus, pro LX. marcis comparasse. Quapropter Comes modo dictus, cui eam Tunzoldus ad manus imperii resignauerat, eandem ecclesiae Buch ex parte imperii perpetuo pro-

c) *Dipl. in Relationibus innocuis a. 1718. p. 17. et apud Cel. Schwarzium in annot. ad Petri Albini Genealogiam Comitum Leisnicensium, tom. III. Menckenii, p. 935.*

proprietatis titulo poſſidendam contulit. Eodem die Vnarcus dictus de Waldenburc litteris publicis teſtatus eſt, quod milites ac caſtrenſes ſui Tunzoldus de Coyfungen et Hugoldus de Alansdorf, ſe praeſente, Abbati Buchenſi promiſerint, ſe villam Nuenhain ab omnibus impetitionibus ſeu impedimentis infra circulum vnius anni iuxta iuſtitiam ſeu conſuetudinem terrae erepturos ac liberaturos. [d]) Eodem anno, in feſtiuitate praecurſoris Domini, Hugo de Wolkenberc, qai ad familiam Dominorum de Colditz pertinet, eidem monaſterio fidem dedit, ſe omnem cauſſam ſeu rancorem, vel etiam impetitionem, quam in villa Nuenhain ex parte Tunzoldi de Coyfungen habuit, vel habere potuit, in gratiam monaſterii iam dicti penitus reſignaſſe.

§. 6.

Accidit autem paullo poſt, vt Dominus quidam de Vlogelsberg, villae ſaepe iam dictae cauſſa, tam monaſterio, quam Kauffungio moleſtiam exhiberet. Is igitur, vt ſe legitimum illius poſſeſſorem oſtenderet, ad teſtimonium et auctoritatem Theoderici Burggrauii Altenburgenſis prouocauit. Hic autem litteris eam in rem datis teſtatur, villam hanc primum ad fratrem ſuum Albertum, poſt ad filium eius Henricum, tanquam beneficium Imperii, ſpectaſſe. Ab hoc propter debita quaedam ad Henricum Kauffungium, et poſt mortem iure haereditario ad Henricum, qui alias Tunzoldus vocatur, [e]) perueniſſe. Docent hoc litterae ſequentes:

 Nos

d) Germanice dicimus: *die Gewähr leiſten.*

e) *Obſeruabit Lector hic, contradictionem aliquam inrepſiſſe.*

Nos Theodericus *Dei gratia Burcgravius de* Aldenburc, *et Dominus castri* Rochsberc, *Recognoscimus, et omnibus præsentes inspecturis cupimus esse notum, qvod dilectus frater noster, quondam senior Burcgrauius in Aldenburc, felicis memoriæ, nomine* Albertus, *cum adviveret, villam dictam* Nuenhain *sitam prope monasterium* Buch, *pacifice et sine infestatione qvalibet pleno jure possedit, et ipsam ab imperio jure tenuit feodali. Quæ cum post obitum suum ad* Heinricum *patruum nostrum, filium ejusdem, fuisset jure successionis devoluta, idem* Heinricus, *cum simili pace et libertate prædictam villam aliqvamdiu possedisset, eandem posthæc* Heinrico *qvondam militi de* Couphungen *cum omni jure et libertate tradidit in possessionem, et eam totaliter ad manus imperii resignavit, in recompensationem debitorum, quibus eidem antea fuerat obligatus. Prædictus igitur miles de* Couphungen *villam præfatam, nullo penitus impediente aut reclamante, secure possedit, et eam ab imperio feodaliter habuit cunctis temporibus vitæ suæ. Quæ cum post ejus obitum ab* Heinrico *milite filio ejusdem, qui alio nomine vocatur* Tunzoldus, *nullo penitus obstante aut contradicente, paterna hæreditate dudum fuisset possessa, ipsam fratribus prædicti monasterii* Buch *cum omni iure et jurisdictione, quam ipsam prius habuit, idem* Tunzoldus *rite et rationabiliter postmodum vendidit. Cum igitur hæc taliter se habeant, et de omni horum euidentia plenius nobis constet, testificamur in præsentibus, dictum* Tunzoldum *et fratres*

se. Is enim, qui villam Nuenhain monasterio Buchensi vendidit, in binis literis, ad quos §. 5. prouocauimus, vocatur Conradus, cuius frater Henricus fuisse perhibetur §. 3. Rationem haec concliandi nullam video.

tres in Buch *per impetitionem illius de* Vlogelsberc *indebite molestari, et ad eorum tutelam dedimus eis præsens scriptum sigilli nostri munimine roboratum. Datum anno Domini M. C. C. XCIX. in die S. Thomæ Apostoli.*

§. 7.

A. 1304. Tunzoldus de Kofungen villam Tepel monasterio Buchensi pro marcis LXXX. vendidit: et Heinricus de Schellenberc, Capitaneus ac Iudex prouincialis in terra Plisnensi a Serenissimo Domino Alberto Rege Romanorum constitutus, eam post resignationem Conradi, qui Tunzoldus nominatur, dicti de Koufungen, conuentui contulit. Actum a. 1304. die festo Iacobi Apostoli. Anno sequenti idem Tunzoldus inter milites et castrenses Alberti Burggrauii Altenburgensis recensetur. A. 1305. Tunzoldus quidam miles, cuius cognomen non additur, inter castellanos Crimmitschauienses refertur. Forte est idem noster Kauffungius. [f]) A. 1309. Herbortus de Kauffungen testis citatur in diplomate typis edito. [ff]).

§. 8.

A. 1347. Theodericus de Koufunghen Castrensis in Waldinberg, Ecclesiae S. Mariae Altenburgensi vnum mansum situm in campis villae inferioris Steinbach soluentem vnam sexagenam annui census, dono dedit, et Ottoni Burggrauio Lisnicensi, a quo eundem beneficiali nexu habuerat, propterea resignauit.

f) *Confer. die Ober-Sächsische Nachlese part. X. p. 203.*
ff) *Vide Auctores annot. e) citatos.*

uit. [g]). Quum a. 1354. Volradus et Busso de Colditz parochiae Wolkenbergensi siluam aliquam dono darent, in litteris super hac re confectis villa *Kofunge*, vtpote in confinio sita, occurrit, inter testes autem Conradus (Cuntz) de Koffunge. [h]) Heinricus de Koufungen, a. 1351. et 1355. fuit Praepositus Canonicorum Regularium monasterii S. M. Virg. in monte Altenburgi. [i]) Theodericus modo memoratus duos habuit filios, Conradum et Henricum, quorum litterae prostant a. 1357. datae, in quibus vnam marcam pecuniae in Staynbach, quam pater comparauerat, Ottoni Burggrauio Lisnicensi resignarunt, vt eandem Hermanno Praeposito Canonicorum Regularium Altenburgensium appropriaret. Patruus ipsorum Hugoldus de Koffungen, Eques, rem auctoritate sua ratam fecit. [k])

§. 9.

Seculo sequente vixit Tunzoldus de Kauffungen, qui CCCC. florenos Rhenenses testamento legauit, vt ex reditibus illius in monasterio Remsensi, inter Glaucham et Waldenburgum sito, et quidem in altari

g) *Dipl. apud Schwarzium in Mantissa ad Albinum p. 1087. in quo loco verborum,* in nostra prouincia, *legendum est, in nostra præsentia.*

h) *Dipl. in Relat. innocuis a. 1716. p. 1207. et apud Schwarzium in annot. citatis p. 933. vbi verba:* durch Got vnd der liebin Heyligen sante Jorgen vnd sante Mauritii, vnser hewpt treu, *emendatione opus habent. Legendum enim,* vnser hewpt hern. *Nam sanctum siue Patronum alicuius templi tunc vocare solebant* einen Hauptherrn.

i) *Dipl. apud Schwarzium Mantissa p. 1089. 1090.*

k) *Dipl. ibidem p. 1092.*

ri S. *Mariae* Magdalenae, Vicaria, quam vocant, perperpetua erigeretur. Executores illius teſtamenti, *Iuſtus* et Ericus fratres, pro hac pecuniae ſumma a Senatu Glauchenſi nouem ſexagenas nouas annui cenſus emerunt, prout quidem iis temporibus loqui ſolebant, h. e. illam pecuniam Senatui Glauchenſi mutuam dederunt, et ab eodem reditus annuos pro ſuſtentatione Vicarii impendendos acceperunt. Poſt mortem igitur Iuſti, qui vna cum reliquis Kauffungiis ſepulturam in monaſterio modo dicto habuit, Ericus, Theodericus et Ioannes Kauffungii, vt vltimae voluntati ſatis fieret, *Paulum Groſskopf*, clericum, *Petro Schleinicio*, Epiſcopo Numburgenſi, tanquam primum illius Altaris Vicarium, praeſentarunt, ab eoque confirmationem illius impetrarunt. Is Vicarius in altari iam dicto, pro ſalute animae fundatoris, et omnium ex gente Kauffungiana defunctorum, ſingulis hebdomadibus tres miſſas celebrare debebat, et ſequentibus temporibus, quotiescumque alius in locum defuncti ſurrogandus eſſet, ab Abbate Bürgelenſi praeſentari debuit. Poſt hos ex gente Kauffungiorum antiquiorum in hiſtoriarum monumentis nemo mihi occurrit, praeter Mauritium, qui a. 1455. villam Flemingen Hildebrando ab Einſiedel vendidit. l)

§. 10.

Haec de gente Kauffungiorum, quantum ſcire datum fuit. Nunc ad Conradum plagiarium deueniamus. Parentes illius huc vsque nondum ſunt noti, coniugem tamen Fabricius noſter m) Hildebrandi ab Einſiedel,

l) *Königs Adels-Hiſtorie tom. I. p. 247.*

m) *Fabricius Orig. Sax. lib. VII. p. 773.*

siedel, Electoralis aulae Mareschalli, sororem fuisse docet, cui nomen *Annae* fuisse Koenigius [n]) tradit, neque tamen eam genealogiae Einsiedeliorum inseruit. Litteras porro a. 1443. die S. Matthiae datas vidi, in quibus Conradus et Henricus fratres Kauffungii, in villa Kauffungen habitantes, Elisabethae Kauffungiae et Margaretae de Kayn, monialibus Francohusanis, quod monasterium quondam prope Crimmitschauiam situm fuit, quinque florenos siue sexagenas antiquas annui census, pro summa quinquaginta sexagenarum vendiderunt. Confirmarunt easdem Conradus de Mosele et Iustus de Kauffungen Wolckenbergae habitans. Litteras illas dudum est, quod manibus triui, sed eas describere nolui, quia nil nisi formulam consuetam continent: sigillum tamen depingi curaui, quod Lectoribus hic conspiciendum exhibetur.

§. 11.

A. 1449. Conradus noster Noribergensibus contra Albertum Marchionem Brandenburgicum militauit, et Marchionem ipsum captiuum habuit, sed pessima fide vsus, eundem dimisit. Quae res a scriptoribus quibusdam [o]) leuiter tacta est, a me autem copiosius adferetur, non meis verbis, sed Chronici cuiusdam Noribergensis inediti, quod manu exaratum possideo. Ne autem mirum cuiquam sit, quod Conradus noster tantum *Cuntz von Kauff* dicatur, illud monendum duxi, ab aliis historiarum scriptoribus ipsum

n) *Königius l. c. p. 248.*

o) *Mart. Zeillero in Germania Nov-antiqua part. I. p. 147. et Io. Wolfg. Rentschio im Brandenburg. Cedern-Hain p. 397.*

ipſum eodem modo appellatum fuiſſe. p) En igitur verba Chronici Noribergenſis:

Am S. Gregorius abendt in der Vaſten, als M. Albrecht mit 550. Pferden, viel Fuſsvolcks, Büchſen und Wagen von Schwabach auszogen, im Meinung die Weiher zu Pillnreüt zu fiſchen, wie dann geſchehen, da hat er ſolchs einem Raht anzaigen vnd zuentbieten laſſen, hinaus zukhomen, vnd der Viſch, die er in iren Weirn gefangen hett, mit Jme zu eſſen, alda Jrer zw wartten. Vf diſes dann ein E. Rath, nachdem ſie ſolches vernommen, nach dem Edlen Herrn Reüſen von Plauen geſchickt, vnd Jm ſolche ſchmach fürgehalten. Diſer hat den Edlen vnd manlichen Hainrich Zenger, Vlrich von Augſpurg, etc. Jm andern Hauffen, ſo Haubtman Konuitz zugeeignet, ſind 150. Raiſiger ſchützen, darunter auch vil der E. von Nürmberg geweſen, vnd im dritten Hauffen ſind 50. Raiſiger, darunter abermals vil der Erbern geweſt, dem Kuntz von Kauf vbergeben.

Da nun der Raiſig Zeug geordnet, vnd bei 60. Wagen zu einer Wagenburg beſtelt, vber welche Herr Hans von Rechenberg der Elter Haubtman geweſt, da iſt durch Herrn Erhartt Schurſtab das fusvolck auch in ein ordnung bracht, vnd diſe tröſtliche vermanung zugethan worden: Lieben freundt etc. Vf ſolche tröſtliche vermanung ſind Sie mit dem Raiſigen Zeug vnnd 3000. zw fus dahinzogen, der zeug aber vor der Wagenburg vnd fusvolck dahinn geritten. Vnd als ſie vf ein halbe meil inn Wald komen, da hatt ein Edelman, ſo

p) *Paulum Langium, Huldr. Mutium, Io. Nauclerum, Cyr. Spangenbergium, et Seb. Francum idem feciſſe teſtatur Petr. Kunzius diſſert. de Conrado Kauffungio p. 3.*

so mitt 20. Pferden vff der warth gehallten, durch seinen Diener einen den Marg. so mit dem hauffen noch bey den Weiern gewest, der von Nürnberg zwkunfft anzaigen lassen. So bald er solchs gehört, hat er gesagt: O das ja also were. Indessen ist noch einer khomen, vnd Jn vermant: Gnediger Herr, macht euch bereitt mitt den von Nürmberg zwstreitten. Als er nu den hauffen selbst besichtigt, den Raisigen Zeug vf 500. starck, vnd das fusuolck vff die zweitausent Man vberschlagen etc. Nachdem aber die von Nürmberg mit Jrem Zeug Jr Ordnung gemacht, vnd Cuntz vonn Kauf mit 50. Raisigen Schützen vor an geschicktt, vnd Jn der Margraue ersehen, da hat er zw den seinen gesagt: Nu haut an. Vnd wiewol sich Cuntz von Kauff dapfer vnd manlich gehalten, doch dem Veint nit vorstehn mögen, ist er allgemachsam wider zwruck gewichen, so lang bis das der Zenger vnd Erasmus Schurstab ersehen, die alsbald Hern Reusen von Plauen vf drommeten lassen, Jre Sper eingelegt, vnd den streit angefangen haben Vnnd als sich die Erbern an der spitzen dapfer vnd ritterlich gehallten, da hat M. Albrecht die flucht geben, vnd der seinen vil erschossen vnd erschlagen worden, hat auch solches schiessen, schlagen vnd nachjagen anderhalb meil wegs bis gen Schwabach inn die Stat gewerth, in welcher flucht M. Albrecht von Cuntz von Kauff, einem Nürmbergischen Haubtman, in waldt haimlichen gefangen vnd wider los worden.

Diser Haubttman, als er dem fursten zw Sachssen sein zwen Junge Sun, Hertzog Ernst vnnd Albrecht genant, aus dem Schlos Aldenburg gestolln, in meinung dieselben in Beham zu fürn, vnd sie zw schetzen, Er aber im nacheiln bei einem koler im Wald, nachdem er die Jungen Fursten etzen vnd laben wölln, gefangen

gen Zwicka bracht, vnd alda zum Schwert verurtheilt worden, q) *da hat er vf der Haubtſtat ofentlich geſagt: Diſen todt hab ich an den von Nurnberg verſchuldet. Denn heütt wird M. Albrecht von den von Nurmberg wider ledig, der ſeit her Jr gefangener geweſt.*

§. 12.

Sed iam propius ad ſupplendam aliquantiſper hiſtoriam plagii nos accingimus. Teſtantur hiſtoriae patriae ſcriptores, Kauffungium praeter reliqua praedia Iſenburgum quoque arcem Bohemicam, ſibi comparaſſe. *) Sed illis iam hoc addendum eſt, hoc factum eſſe illo ipſo anno, quo plagium nefandum exſecutus eſt. Quum enim propter minas ex patria extorris eſſe iuberetur, bonisque ac praediis ſuis frui non poſſet, interea Iſenburgum aere ſuo comparauit, quae ſibi ad tempus eſſet refugio. Poſt mortem

q) *Adferuntur hic quaedam contra veritatem hiſtoricam, quae nobis melius conſtant, Auctori autem, vtpote extraneo, facile condonamus.*

*) Reperitur etiam *Conradus Kauffungius*, inter teſtes in litteris pactorum dotalitiorum Friderici de Schoenburg Eliſabethae de Guttſſceyna vel Götſcheine, lingua bohemica conſcriptis, atque die lunae poſt feſtum Paſchatos ipſius anni 1455. quo nefandum Kauffungius plagium commiſit, datis, vbi quoque *Kuncz z Kauffungka ſedienim na Eyſemberczie* (Kunz von Kauffung geſeſſen zu Eiſenberg) vocatur, quas litteras cum interpretatione vernacula a Pl. Rev. *Georgio Koernero*, Paſtore Eccleſiae Bockauienſis prope Schneebergam, in libello ſingulari cui titulus: *Biga diplomatum Schoenburgicorum.* Schneeberg 1760. 4. editas, variis obſeruationibus illuſtratas, inſeruit Summe Reuerend. *Io. God. Wellerus* Antiſtes Zuickauienſ. *Dem Alten aus allen Theilen der Geſchichte* Part VII. Chemnit, 1763. 8. p. 20. ſqq. *Editor.*

tem vero Kauffungii Georgius Podiebradius, regni Bohemiae ſub Wladislao Rege tunc Gubernator, arcem modo dictam a filiis Conradi poſſeſſam expugnauit, et quidem in gratiam filiorum illius, vti tunc vulgo credebatur. [r]) Cum Kauffungius cubiculum Principum ingreſſus eſſet, narrant ſcriptores noſtri, virginem quandam nobilem aetate prouectam cum ipſis verſatam, cuius auxilium Erneſtus aduocauerit. Adamus autem Vrſinus [s]) dicit, ſcribam cum ipſis fuiſſe, quem Kauffungius ligauerit, hocque modo ipſi ſilentium impoſuerit. Idem docet, Kauffungium in curia Fribergenſi adſeruatum, quum omnes campanas in laetitiae ſignum pulſatas audiſſet, et, quid hoc rei eſſet, percontaretur, reſponſumque accepiſſet, ambos Principes incolumes receptos eſſe, in verba haec maxime impia erupiſſe: *Das walt der Teuffel, das gilt mir mein Leben.* Idem addit, ſuaſu Wilhelmi, Ducis Saxoniae, e coemeterio effoſſum, et iuxta patibulum ſepultum fuiſſe: cui rei tamen noſtri contradicunt, eumque in villa Nauendorf haud procul a Friberga reconditum fuiſſe tradunt. Tandem errorem aliquem leuiculum vel librarii, vel etiam typographi, hac occaſione emendo in Chronico Vernaculo Vetero-Cellenſi, vbi ſic habetur: [t]) *Do beſtalt der biſchoff von meyſſenn, daſs man ynn auff eyn yar leyte, vnnd eyn gülden ſtucke auffleget*e. Emendandum eſt ſic, *auff eyn par legte*, h. e. feretro imponerent, id quod factum ex ritu Pontificiorum.

§. 13.

r) *Hartungus Kammermeiſter in Annal. Erfurtenſibus tom. III. Mencken. p.* 1220 1222.

s) *Vrſini Annal. Thuring. ibid. p.* 1333. 1334.

t) *tom. II. Mencken. p.* 428.

§. 13.

Plura nunc non licet, neque chartae huius angustia capit. Hoc addere possum, Kauffungios post id tempus praedia, quae in terris Saxonicis possederant, vendidisse, et alio habitatum concessisse, quos in terris Principum Anhaltinorum et Comitum Ruthenorum, vel certe in eorundem ministerio, postea inueni. Quum vero memoria Conradi Kauffungii apud nos damnata non sit, imo beneficium illud in conseruatione domus Saxonicae exhibitum sine Kauffungii mentione celebrari nequeat, nemo vitio mihi vertet, quod isthaec historiae patriae sicilimenta proferre voluerim.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

XV.

Commentatio de Vita Nicolai Marschalci Thurii, Iuris olim Professoris in Academia Rostochiensi, nec non Ducum Megapolensium Consiliarii. *)

§. 1.

Thuringum quendam non incelebrem, sed vulgo non satis notum, exhibeo, NICOLAVM MARSCHALCVM THVRIVM. Hic ad peregri-

*) Hanc B. Schoettgenii commentationum ao. 1733. editam, ob raritatem recudi curauit, et annotationibus quibusdam literariis auxit *Iohannes Phil. Schmidius* Schoenebeca-Magdeburg, Rostoch. 1752. 4. plag. 5. cuius annotationum quasdam, ad vitam Marschalci spectan-

peregrinas oras delatus alibi ſedem fortunarum ſuarum inuenit, hinc in hiſtoria litteraria Saxoniae noſtrae neglectus fuit. Scriptores Megalopolitani ſparſim illius mentionem faciunt: [a]) Sed quae de ipſo memoratu digna ſunt, optime huc vſque docuit *Bibliotheca*, quam vocant, *Hamburgenſium Hiſtorica*, [b]) ita tamen, vt magnum aliis ſpicilegium relictum ſit, et multa adhuc poſterorum diligentiae relinquenda ſint.

§. 2.

Patria Marſchalci et Natales.

Nicolaus igitur Marſchalcus patria Thuringus eſt, id quod expreſſis verbis probat Equitum ſuo tempore doctiſſimus, *Vlricus Huttenus*, qui Elegiam ad Marſchalcum noſtrum ſcribens, Muſam ſuam ſub finem ſic alloquitur: [c])

Haec

ſpectantes, addimus, omiſſis reliquis huc prorſus non pertinentibus. *Editor.*

a) Vid. *Petr. Lindenbergii* Chronicon Roſtochienſe 1596. 4 L. III Cap. 14. p. 104. in margine. *Fridr. Thomas* in praefat. Analector. Guſtrov. 1706 8 fol. 2. a. *Geor. Fr. Stiebers* Meckl. Hiſt. der Gelehrſamk. 1721. 8. p. 69. 70 *de Weſtphalen* in praef ad Tom. I. Monumentor. inedit rer. german. praecip. Cimbric. et Megapol. p. 23 ſq. *Io Ehr. Kappius* in diſſ. quam de ratione, qua Germani merita ſua in ſtudium hiſtor. in poſterum amplificare poſſunt, praemiſit Operi *Matth. Ioh. Beehr.* de rebus Mecleburgicis Lipſ. 1741. f. p. 35. ſq. Geſchichte der Iuriſten Facultät in der Vniuerſität zu Roſtock, 1745. 8. p. 60 61. *Schmid.*

b) Centur II. art 74. p. 262. ſq

c) Edidit Huttenus inter alia *in Wedegum Loetz et filium eius Henningum V Iuris Doctorem Gripesualdi in Pomerania Querelarum libros duos. Francophordii cis*

Oderam,

Haec vbi tradideris vati, mea Muſa, Thuringo,
Ad mea, reſcripto carmine, tecta redi.

Quod vero perpauci id huc vſque perſpectum habuerunt, cauſſa haec eſt, quod ipſe Marſchalcus ſe non *Thuringum*, ſed *Thurium* ſcripſit. Nimirum ea labes tunc temporis viros eruditos inuaſerat, vt, quae Teutonica eſſent, contemnerent, et nomina peregrina potius eligerent. Sic Miſnenſes maluerunt eſſe *Myſi*, Saxones *Sacae*. Eodem modo noſter *Thurium* ſe vocauit, quod nomen populus olim magnae Graeciae habuit, vt antiquitatis ſe gnarum oſtenderet. Quaenam vero ſpeciatim patria ipſius fuerit, huc vſque nondum expiſcari potui. Celeb. Hornius d) eum ex gente Nobilium Marſchallorum, qui olim apud Landgrauios Thuringiae hoc dignitatis genus obtinuerunt, et Goſſerſtadium vicinasque aliquot villas dudum poſſident, oriundum eſſe tradere videtur.

Oderam. 1510. 4. pl. 13½. Quod opuſculum quum Cl. Burckhardus, ſcriptor Vitae Huttenianae, prorſus non viderit, pauca de illo monenda ſunt. Huttenus ex Italia redux a. 1509. in Pomeraniam venit, vbi cum morbo et paupertate conflictabatur, Wedegus Loſſius Coſ. Gryphiswaldenſis ipſum recipiebat, et quasdam pecunias ſubminiſtrabat, ſed indignis praeterea modis ipſum tractabat. Huttenus huius rei impatiens pedibus iter Roſtochium ſuſcipit, ſed non procul ab vrbe aberat quum Loſſiani ſatellites ipſum adgreſſi omnibus, quae ſecum habebat, ſpoliarunt. Ipſe autem ſic affectus Roſtochium venit, ibique magno cum applauſu docuit. Poſtea vero has Querelas edidit, quae nihil aliud ſunt, quam Farrago variorum Carminum, ad Patronos et amicos miſſorum, in quibus alia quoque varia, quae ibi non quaeras, inueniuntur. *Schoettg.*

d) Horns Sächß. Hand-Bibl. 1. Theil p. 99.

tur. Quum igitur asserti sui rationem nullam adtulerit, rem interea in medio relinquendam esse puto, donec certiora dies doceat.

§. 3.

Erfurti et Wittebergae versatur.

Ad litterarum studia cum animum applicuisset, in Erfurtensi Academia iisdem incubuit, vbi Spalatinum habuit discipulum, *Artiumque Magistri* et *Iuris Vtriusque Baccalaurei* dignitatem obtinuit. Eo tempore Fridericus Sapiens, Elector Saxoniae, Academiam nouam Wittebergae condebat, quam ille inter primos decorauit, sic, vt in albo inscriptorum nomen ipsius vndecimo loco habeatur. [e]) An ibi Iura docuerit, non satis audeo confirmare, quum nec nomen illius inter eos legatur, qui Iuris Vtriusque Doctores ibidem renunciati sunt. Hoc a Marschalco nostro edocemur, Fridericum Electorem cum fratre Ioanne saepius auditoria frequentasse: [f]) id quod rarum est in Principibus, et hac occasione omittendum non erat.

§. 4.

Rostochii honores publici.

Patria vero ipsi non satis fauisse videtur, quapropter exteris potius, quam patriae, studia sua offerre coactus est. Docent hoc verba Hutteni, qui ait,

e) Sennerti Athenae Witteberg. p. 39.

f) Marschalcus in praefatione ad Petri Rauennatis Compendium Iuris ciuilis: *Audiunt te* (Rauennatem) *et D. Foedericus Ro. Imp. Archimarscalcus: et D. Ioannes germanus eius, principes nostri Saxoniae illustrissimi: si quando per ocium rei suae publicae liceat.* Schoettg.

ait, ipſum multa alibi mala ſuſtinuiſſe, et demum in terris Megalopolitanis halcyonia inueniſſe. g) Roſtochium enim abiit anno MDVII. vbi Legum et Canonum Profeſſor, ſimul quoque Henrico Pacifico, et Alberto Pulchro, Ducibus Megalopolitanis, a conſiliis fuit. h) Quid ibi ſpeciatim egerit, non conſtat, quum Scriptores Mecklenburgici pauca nobis de illo, praeter labores litterarios, de quibus paullo poſt, memoratu digna reliquerint. Hoc vnum Spalatinus, i) diſcipulus ipſius, retulit, quod a. MDXXIII. vna cum aliis Legatis a Duce Megalopolitano ad Electorem Saxoniae miſſus fuerit. Quid vero ibidem peregerit, non additur.

§. 5.

Scripta Marſchalci.

Plura de ſcriptis illius proferre poſſumus, quae quamuis aliorum ſcriptis ſatis celebrata, a pauciſſimis tamen ob raritatem k) ſummam viſa ſunt: idque

 partim

g) Huttenus lib. 1. Querelarum p. 40. ita de Marſchalco:
Vtque malis olim tulit ipſe ſimillima noſtris,
Dum leget, in promptu cauſa doloris erit.
Vtere ſorte tua, cui nunc fortuna ſecunda eſt:
Quem leuat ex longo parta labore quies.
Vtque tibi domus eſt, vt blandi muneris vxor.
Vt graue ſub tanto Principe nomen habes,
Dignum illis animum gere etc. Schoettg.

h) Germanice pro iſtorum temporum ſimplicitate, ſe tantum ſcribit Sr. Fürſtlichen Gnaden Hofe-Diener: in praefatione Chronici rhythmici. Vide Bibl. Hiſtor. Hamb. tom. II. p. 276. *Schoettg.*

i) Spalatinus Annal Tom. II Mencken. p. 630.

k) Rariſſima Mareſchalci Opera eſſe teſtes ſunt *Vogt.* Catal. libror. rar. Hamb. 1747. p. 444. *Freytag.* Analect. liter. de

partim ob antiquitatem, partim vero quia Rostochiensia suo sumtu imprimi curauit. Habuit enim in aedibus propriis typographum Erfurtensem, Guntherum Winterum, quem ipse aluit, et hoc modo commodum litterarum augere voluit. [l]) Quae igitur ex ingenii ipsius monumentis mihi cognita [m]) sunt, ea sequenti ordine enumerabo:

1. *Carmina de diua Anna, et de moribus Archigrammateorum, cum commentario Georgii Burcardi Speltini*, h. e. Spalatini: extant in Collectione Poëmatum Hesiodi, Lactantii, Ouidii, Ausonii et aliorum, Erphordiae a. MDI. 4. impressa, [n]) cuius contenta

de libr. rarior. p. 572. Biblioth. Histor. Hamburg. Centur. II. art. 74. p. 262. Amoenitat. literar. Tom. II. p. 434. *Schmid.*

l) Stiebers Mecklenburgische Historie der Gelehrsamkeit p. 75. 77. und im Leben Herzogs Magni p. 20.

m) Praeter illa scripta, quorum mentio fit in sequentibus, adhuc commemoranda veniunt: 1. *Epitome Chronicorum Mecklenburgensium* vernacula lingua scripta et Casparo de bella quercu seu Schönaich dedicata 2. Manuscriptum latinum, *de diuinitate Astrologiae et diuinis effectibus*, D. Ioanni Rhodio, Syndico Lubecensi nuncupatum. 3. *Historiola de Sacrilegio Iudaeorum* (scil. Sternbergensium) *rhythmis germanicis et latinis exposita*, et in membranis descripta, quae hodie asseruatur in Bibliotheca Ducali Suerinensi, et ex qua rhythmos germanicos edidit b. *Ioh. Henr. Koepkenius* in appendice *Memoriae Conradi Lostii*, Episcopi Suerinensis, p. m. 84. sq. vid Illustr. Dn. *de Westphalen*, praefat. ad Tom. I. Monumentor. ineditor. p. 86. 87. *Schmid.*

n) *Lesserus* in typographia iubilante Cap. III. §. 59. p. 91. refert: Librum quendam *Nic. Marschalci Thurii*, adseruari in Bibliotheca Blasiana, quae Nordhusae patet, sub titulo: *Enchiridion preclarum clarissimorum Poetarum*,

tenta iam olim Cel. Fabricio a me transmissa, ab hoc autem primum in Supplemento Bibliothecae Latinae, postea vero in eiusdem Tomo III. relata sunt. Ipse liber extat in Bibliotheca Paullina Lipsiensi.

2. *Libellus de Orthographia.* Hunc in forma quarti ordinis excusum vidi in Bibliotheca Viri docti, sed quia tunc temporis nondum de hoc labore meo cogitaui, titulum exscribere neglexi. Post mortem vero illius librum nancisci non potui.

3. *Praefatio in Petri Rauennatis Compendium Iuris ciuilis, impressum Albiburgi pridie nonas Septembres, Anno a natali Christiano MDIII.* 4. Hunc librum ipse possideo, fortasse primum omnium, qui Witebergae vnquam sunt excusi. °) Typi sunt satis nitidi, sed nomen typographi non adparet.

4. **Bericht von dem zu Sternberg Anno 1491. vorgelauffenen Juden-Handel. Rostock,** 1510. 4. Est narratio de Clerico, qui hostiam consecratam Iudaeis vendiderat, a quibus pessime accepta, hi vero deinde vna cum sacrificulo suppliciis

 ad-

tarum, Erphordie 1502. 4. ex quatuor libris constantem. Cum vero in hoc Enchiridio, cuius contenta p. 92. 93. speciatim recenset, *Carmina de Diua Anna et de moribus Archigrammateorum,* non compareant. dubium suboritur, annon hocce Enchiridion separatum ac hactenus penitus ignotum sit scriptum nostri Marschalci. *Schmid.*

o) Alium, qui anno sequente Albiori prodiit, in Bibliotheca Scholae nostrae Crucianae conspiciendum, memorat Cl. Beyerus in Epist. de Bibliothecis Dresdensibus. cf. quoque b. *Schoettgenii* notitia Bibliothec. Schol. Crucianae §. 11. 12.

adfecti sunt. p) Opusculum illud postea latino sermone edidit, hoc ipsi rubrum praefigens: *Res a Iudaeis perfidissimis in Monte Stellarum gesta, ad Illustres Principes Henricum et Albertum, germanos, Duces Mecklenburgicos inclitos. Rost. MDXXII, 4.* Nostro tempore illud propter raritatem rursum edidit Io. Hübnerus Iunior, I. V. L. Hamb. MDCCXXX. 4. pl. 6.

5. *Institutionum Reip. militaris ac ciuilis libri IX.* Sub finem haec leguntur: *Impressum feliciter in celebri vrbe Rhostochio in aedibus Thuriis Anno a Nat. Chr. MDXV. ad Cal. Maias.* fol. Bünemannus, q) hoc opus vna cum aliis venum exponens, pretium constituit octo imperialium.

6. *Historia aquatilium,* latine et graece, *Rostochii, in aedibus ipsius anno 1520 in folio cum figuris sed absurdis.* r) *Promittit Zoographiam et therion historiam, et*

p) Ex Marschalco sua desumserunt, quotquot deinceps huius negotii meminerunt, ex quibus praecipue nominandi sunt *Dav. Henr. Kœpkenius in fabulosa Megapoli* pag. 104 seqq. *Henr. Ascanius Engelke, diss. de hostia, Sternbergae a Iudaeis confossa et cruentata.* Lips. 1699. 4. Dav. Franck. im Bericht von der Hostie zu Sternberg, Rost. 1721. 8. et quos *Koepkenius* cum *Frankio* magno numero citat.

q) vid. *Io. Lud. Bünemanni Catalog. MSS. et librorum rarior.* 1732. 8. p 28.

r) Hinc *Lesserus in typographia iubilante* §. 117. p. 219. de *Nic. Marschalci* Enchiridio *poetarum,* et de figuris in illo occurrentibus scribit: In diesem zeigt er (Marschalcus) sowohl die griechischen als lateinischen Poeten, in Holzschnitten. Sie sind mit groben Strichen ausgedrückt, und es sind in den Gesichtern nur die Hauptheile, als Augen, Nase, und Mund mit unförmlichen Strichen

et ornithographian, quae an praestiterit, nescio. Haec Gesnerus in Bibliotheca, cui notitiam pleniorem huius operis, leuiter tantum ab aliis tacti, debemus.

7. *Annales Herulorum ac Vandalorum, Libri VII. Rost. 1521.* fol. plag. 26. s) Hunc librum in Bibliotheca Regia Berolinensi oculis vsurpaui, quo tempore nobilis quidam Megalopolitanus ipsum manu sua describebat. Sub finem additae sunt Annotationes t) quaedam grammaticae vocum latinarum et graecarum, non vbiuis occurrentium, quae non satis versatos remorari poterant, rogatu *Valentini Stoientini*, u) Equitis

chen gedeutet, hergegen ist an Licht und Schatten gar nicht gedacht worden. Sed ibidem quoque initio citati §. monet: Im Anfange waren die Holzschnitte sehr schlecht, daß man die Bildnisse eher vor Eulen und Meerkatzen, als Menschen ansehen sollte. *Schmid.*

s) Recusae in *de Westphalen* monumentis ineditis Tom. I. num. II. p. 166. sqq. vbi et num. III. p. 322. et sqq. legitur: *Eliae Schedii* Erklärung einiger unbekannten in den Büchern Marschalci befindlicher Namen der fremden Völker. *Schmid.*

t) Haec quoque recusae in *Westphalenii* opere l. c. num. IV. p. 326. sqq. Sequuntur ibidem num. V. *Seb. Bacmeisteri Continuatio Annalium Herulorum et Vandalorum* p. 339. sq. nec non num. VI. p. 454. *Ioan. Bacmeisteri animaduersiones genealogico-chronologico-historicae in Mareschalci Thurii Annal. Herulor. et Vandalor. Schmid.*

u) de quo *Micrælius* vom altem Pommerlande, edit. 1723 4. Lib. VI. p. 378. haec commemorat: Stojentine, ein alt Geschlecht Stetinisches Ortes, führen einen Hirsch, aus einer gelbblauen Schachtafel springend, und auf dem Helm Pfauenfedern, über etlichen schwarzen Feldern. Unter ihnen ist Valentinus Stoientinus, ein Doctor, und fürtrefflicher Mann, und Amtmann zu Loytz, beym angehenden Evangelio rc. *Schmid.*

Equitis Pomerani, et ICti Gryphiswaldensis, conscriptae. Notitiam sufficientem contentorum huius libri dat Bibliotheca Historica Hamburgensis. [v]) Typi non sunt admodum elegantes, minoris formae: graeca non satis sese commendant, et accentibus destituuntur. Iudicant, qui perlegerunt, Auctorem satis bene scribere, sed ita, vt vitio seculi sui laboret, neque ad hodiernas Historicorum accuratiorum rationes sit exigendus. [w])

Horum Annalium gemina exstat Versio vernacula, sed vtraque nondum edita. [x]) Prior est ipsius Mar-

v) Centur. II. p. 261. seqq. Adde Stiebers Hist. der Mecklenb. Gelehrsamkeit p. 76. 77.

w) Fidem sane historicam *Marschalco* non esse denegandam patet ex ipsius verbis, quibus prafationem Annalibus suis praemissam claudit: *Nihil*, inquit, *in iis Annalibus retuli nisi testis oculatus* etc. Tametsi vero et naeuos suos habeant *Marschalci* Annales, id quod *Frid. Thomas* in praefat. Analector. Gustrouiens. fol. 2. a. hisce indigitat et simul excusat verbis: *Equidem hic profunde doctus scriptor, multum tribuit fabulis atque commentis veterum, more istius Seculi, nunnullosque in chronologicis fouet naeuos*, excusandus tamen *pro illo, quod non aliter ferebat, tempore*. conf. Hamb. Biblioth. hist. l. c. p. 263. 271. eandem tamen forte cum *C. Plinio Secundo*, certo respectu *Marschalcus* meretur veniam; de isto nimirum *Olaus Borrichius*, in conspectu praestantior. scriptor. lat. ling. p. 57. scribit: *Sed qui totos dies vacabat negotiis Principis et noctem tantum vindicabat contemplationibus naturae, vt ipse agnoscit, non mirum, si in tam reconditae scientiae articulo obrepentem somnum expertus sit. Schmid.*

x) Typis nunc excusa apparet in *Westphalenii Monum. inedit.* Tom. I. num. VII. p. 561. seq. Speciminis loco adponere lubet primos praefationis versus:

Von

Marſchalci, ſub titulo *Chronici Mecklenburgici*, et carminice elaborata. Carmina genium ſeculi iſtius exprimunt, ſed opus ipſum varia continere dicitur, quae in Annalibus Herulorum non inuenias: adeoque et illud praelo dignum vtique eſſet. y) Altera eſt Eliae Schedii cum Continuatione Seculi XVII. quam Scriptoribus rerum Mecklenburgicarum anecdotis inſerere ſtatuit Vir Celeb. *Erneſtus Ioachimus Weſtphalius.* z)

8. *Deflorationes Antiquitatum ab origine mundi. Roſt.* 1522. fol. pl. 16. Eſt Compendium hiſtoriae vniuerſalis, cuius ſynopſin recenſent Hamburgenſes, a) qui ſimul obſeruant, ipſum Annio Viterbienſi multum tribuere, et nomen *Deflorationum* ab ipſo quoque petiiſſe.

9. *Chro-*

Von Mecklenburg, dem edeln Stamm,
Will ich von Anfange kunde,
Wie Danne erſt kam, hier Hauſſung nahm,
Bis auf dieſe heutige Stunde;
O Edler Fürſt, Herr Heinrich gut.
Der Obetriten eine Ehre,
Von Lobſan, Muth und königlichen Bluth,
Mein Arbeit Euer Gnad zu kehre ꝛc. *Schmid.*

y) Hamburg. Bibl. Hiſt. l. c. p. 273. 274. 275.

z) vid. Leipz. Gelehrte Zeitungen 1729. p. 832. quod etiam praeſtitit, *monumentor. ineditor. rer. german.* Tom. I. num. 3. p. 168. ſq. *Schmid.*

a) Hamb. Bibl. Hiſt. Centur. II. p. 277.

9. *Chronicon de Vitis Obotritarum vsque ad a.1521.* huc vsque ineditum ſperare nos iuſſit laudatus *Weſtphalius.* b)

§. 6.

Iudicia de eo.

Ex his igitur adparet, quid de *Marſchalco* noſtro iudicandum ſit. Certe pro fato iſtorum temporum fuit non eruditus ſolum, ſed inter Deos maiorum gentium iure ſuo collocandus. Vtriusque ſane linguae ſtudioſus fuit, latine ſcripſit ſatis eleganter, poëticam artem tractauit non infeliciter, Hiſtorias legit et ipſe quoque ſcripſit, Ius ciuile docuit, Principibus ſuis conſilio adfuit. Sic igitur de eo iudicant, qui ex aequo iudicare didicerunt, qui tamen id ſimul addunt, veritatem ſectantes, Marſchalcum noſtrum ex iſtorum temporum conditione diiudicandum eſſe, quibus ſtudia litterarum in Germania poſt diuturnam barbariem prodire quidem coeperunt ſed plenam meſſem oſtendere nondum potuerunt. Vitium certe ſeculi erat, quod nonnunquam oratorem potius, quam hiſtoricum agit, quod in rebus maioris momenti non ſatis acuratus fuerit, quod ad Geographos Graecos ſaepe numero ſine cauſſa, et tantum eru-

b) Editae ab ipſo l. c. Tom. II. Num. IX. p. 1501. ſq. additis *Marſchalci ad Caſparum de nobili bellae quercus familia*, Ducalem Archigrammateum, *Commentariis in libros Geſtorum Obotritarum* num. X. p. 1573. ſq. cf. *de Weſtphalen* praefat. Tom. II. *monument. ineditor.* p. 60. not. q. r. ſ. de *Beehr de rebus Mecklenburgic.* Lib. VIII. C. 13. p. 1584. n. CXXII. *Schmid.*

eruditionis oſtentandae cauſſa, prouocauerit. [c]). Huttenus noſtro quoque Coſmographiae ſtudium tribuit, cum Muſam ſuam ad Marſchalcum ablegatam ſic adloquitur;

Inuenies illum placidas tractare ſorores,
Inuenies grauium voluere ſcripta virum.
Et iam forte vagas depingit in ordine terras,
Cumque mari ſiluas, flumina, rura, lacus;
Et gentes, quauis coeli regione repoſtas,
Totque vrbes graphico digerit in radio.

In margine additur: *Marſchalcus Coſmographus.* Fortaſſe Marſchalcus tunc priuata opera huiusmodi litteris incubuit, aut ſtudioſam iuuentutem eas docuit: in publicis enim monumentis tale quid ab ipſo praeſtitum eſſe non conſtat.

§. 7.

Mors et Sepultura.

Tandem fato ſuo functus eſt Marſchalcus noſter, et exuuiae eius templo monaſterii Dobberanenſis illatae ſunt. Vnde, quantum apud Principes ſuos [d]) gratia valuerit, vel ideo coniicimus, quia locus ille ſepulturae ipſorum Principum alias deſtinatus fuit. Monumentum ipſi ſequens poni iuſſit Henricus Pacificus:

NICO-

c) Stiebers Mecklenb Kirchen-Hiſt. p. 223. 312. 313.

d) Scilicet *Henricum Pacificum* et *Albertum Pulchrum.*

NICOLAO MARSCHALCO THVRIO, et literarum et linguarum omnium Viro Doctiſſimo, Iurisprudentia inſigniter claro, tanquam bene merito, HENRICVS, Megalopyrgenſium Dux, Gratiſſimus Princeps, monumenta poſuit.

Hoc Nicolai *habitant* Marſchalci *funera ſaxo,*
Henricus *Princeps haec monumenta dedit.*
Henricus Princeps, quo non modo ſanctior alter,
Et Megalopyrgos Vandalicosque regit:
Omnia conſiliis cum multa pace gubernans,
Doctorum vt ſemper, ſic, Nicolae, *tuis.*
Hic merito funus tanto ſepeliuit honore,
Virtuti gratus inclytae et officiis.

Moritur Roſtochii die 12. Iul. MDXXV. [e])

e) Stiebers-Mecklenb. Hiſt. der Gelehrſ. p. 77. 78. Hamb. Biblioth. hiſtor. Centur. II. p. 270. *Nathan. Chytraei* Deliciae itinerum p. 385.



XVI.

Historie der Burggrafen zu Naumburg. *)

Erste Abtheilung.

Historische Nachricht von denenselben.

§. 1.

Gotheboldus.

Dieser ist der erste, welcher mir bis dato vorgekommen ist, und zwar nur als Zeuge A. 1188. in Kayser Friedrichs Briefe, als er dem Stiffte Merseburg,

*) Diese Abhandlung hat Johann Gottlob Hammer Auctionator der Universität zu Halle, das. 1741. 4. auf 6. Bogen, unter dem Titel: Actorum publicorum Numburgensium et Mansfeldensium, mit ungedruckten Urkunden erläutert, 1. Eröfnung, drucken lassen, und sich sowohl auf dem Titel, als in der Zueignungsschrifft und Vorrede, unrechtmäßig, als Verfasser ausgegeben. Sie ist aber unstreitig vom seel. Schöttgen welches auch bereits Herr D. Franke, in dessen Leben, vor dem Tom. III. Diplomatar. et Scriptor. Histor. Germ. S. 20. n. 109. angemerket. Durch die Gütigkeit eines Verehrungswürdigen Gönners, des Herrn Hofraths und Prof. Böhmens in Leipzig, welche wir auch, in Ansehung der gleichfolgenden beyden Stücken zu rühmen haben, sind wir in Stand gesetzet worden, solche Abhandlung aus der eigenhändigen Schöttgenischen Handschrifft, viel richtiger und vollständiger mitzutheilen, als solche in dem bemeldeten Abdrucke ist, welcher sich mit dem 6. §. der

burg, etliche Hufen zu Lößnig und Cotewitz geeignet. [a]) Ferner A. 1190. als Anarg Voigt zu Bürgelin dem Kloster zu Eisenberg ein Gut zu Waldeck gegeben. Der Brief ist datirt zu Nuenburg, er hat sich aber gleich zuerst noch vor dem Grafen von Gleichen unterschrieben Gotheboldus de Novo Castro. [b]) Ferner A. 1196. als Graf Dietrich von Weissenfels dem Kloster Zelle die Zehenden von den Weinbergen zu Camburg schenkte, da wird er geschrieben Præfectus de novo Castro. [c]) A. 1197. in Landgraf Hermanns in Thüringen, [d]) und um das Jahr 1198. in Marggraf Dietrichs von Meissen Briefe. [e])

§. 2.

Heinrich I.

Ist A. 1203. ein Zeuge, als Landgraf Hermann dem Hause zu Halle vierdtehalbe Hufe zu Gräfendorf bey Schafstädt geeignet. [f])

§. 3.

Meinhard.

Wird A. 1211. als ein Graf zu Nuenburg gemeldet, und ist nebst andern von dem Landgrafen nach Presburg geschicket worden, die heilige Elisabeth abzuholen.

zwoten Abtheilung beschlüßet, und sonst auch noch an vielen Orten von dem Herausgeber, ohne Ursache verstümmelt und geändert worden. (Editor.)

a) Dipl. in Buders Sammlung I. p. 450.
b) Dipl. apud Gleichenstein von Bürgel, Docum. p. 3.
c) Dipl. apud Mencken. S. R. Germ. II. p. 449.
d) Dipl. in Gotha diplomat. V. p. 192.
e) Dipl. apud Gleichenstein l. c. p. 83.
f) Dipl. apud Ludewig Reliquiis V. p. 118.

zuholen. [g]) Wiewohl er von andern ein Graf von Walburg, [h]) und auch ohne den gräflichen Titel Meynard von Wendelöue genennet wird. [i]) Daher es mit diesem noch nicht seine völlige Richtigkeit hat.

§. 4.

Hermann I.

A. 1225. als Marggraf Heinrich der Erlauchte dem Kloster Alten Zelle alle Güter und alle Pfarren zu Freyberg confirmirte, war er mit unter den Zeugen. [k]) A. 1232. hat Albrecht von Hackeborn durch Vermittelung und Beyhülfe Graf Hermanns zu Mansfeld 9. Hufen im Dorfe Beutitz verkaufft, und das dominium directum davon, dem Kloster Beutitz übergeben. Man lasse sich den Titel eines Grafen von Mansfeld nicht irren, weiter unten wird man den Zusammenhang sehen. A. 1243. war er als Burggraf zu Naumburg mit zu Weissensee, als Landgraf Heinrich in Thüringen dem Kloster Pforte den Wald Lindelo bey Sultze, und das Gut Gernstedt verehrete. [l]) A. 1246. hat Graf Hermann zu Mansfeld, sein Gut zu Beutitz, dem Kloster daselbst mit aller Zugehör geschenket, und zwar mit Einwilligung seiner Kinder und Erben. Wobey er sich an-

g) Monach. Reinhardsbronnens. de Landgrauiis Thuring. Tom. I. Pistorii p. 959.
h) Histor. de Landgrauiis Thuring. in Eccardi histor. geneal. Sax. super. p. 409.
i) Monachus Pirnensis p. 1463.
k) Dipl. apud Gribnerum progr. de titulo Comitis Palatini in literis Henrici illustris p. 4. et Wideburg. Antiquit. Marggrau. Misnici II. p. 128.
l) Dipl. apud Hornium in Henrico illustri p. 362.

ders nichts ausbedungen, als die Schutzgerechtigkeit, welche er sich und seinen Erben vorbehalten, und sich dazu verbunden, auch dafür nichts ausbedungen noch zu nehmen versprochen. Wenn aber doch etwas dafür fallen sollte, so sollte es ihm und seinen Kindern gehören, dafür sie des Klosters immerwährende Schutzvoigte seyn wollten. A. 1251. und 1253. war Graf Hermann nebst seinen beyden Söhnen Burckhard und Hermann Zeugen in Beutitzischen Briefen.

§. 5.
Burkhard I.

Ein Sohn Hermanns I. ist nur da gewesen, war auch überdem nebst seinem Bruder Hermann II. unter dem Titel de nouo Castro zu Tharant unter den Zeugen, als Marggraf Heinrich der Erlauchte A. 1251. den Nonnen zu Gotha 5. Hufen daselbst eignete. m)

§. 6.
Hermann II.

Hermanns I. Sohn und Burkhards Bruder, ist schon §. 4. 5. da gewesen. A. 1253. war er als Burggraf zu Naumburg bey Marggraf Heinrichen zu Leipzig, als er die Güter des Klosters Bürgeln confirmirte: n) A. 1254. den 24. April zu Ulstedt, o) den 15. May zu Eisenberg, nebst seinem Sohne gleiches Nahmens, und den 24. Octob. abermahls zu Eisenberg. p) A. 1255. zu Leipzig, q) A. 1257. zu Nauenhof, A. 1258. zu Weissenfels *) A. 1259. abermahls

m) Dipl. apud Hornium in Henric. illustr. p. 310.
n) Dipl. in Liebens Nachlese zu Henrici illustris Historie p. 86.
o) Dipl. apud Hornium l. c. p. 361. et II. p. 305.
p) q) r) Dipl. in Liebens Nachlese p. 65. 66. 67. 68. 70. 71.
*) Gschwend memorabil. Eisenberg. C. 3. Sect. 5 §. 15.

mahls zu Nauenhof, r) und 1260. zu Tharant. s) Hieraus ist zu ersehen, daß dieser Burggraf Hermann, bey Marggraf Heinrichen dem Erlauchten sehr wohl gestanden, wie er denn auch dessen Gevatter gewesen. Denn so stehet er A. 1266. als Zeuge in einem ungedruckten Briefe des Klosters Beutitz: Compater noster dictus Hermannus senior Burggrauius noui Castri. Von folgenden 1267. Jahre findet sich ein Brief von ihm, da er mit Einwilligung seiner Söhne Meinheri, Thumprobsts zu Naumburg, Burcards II., Hermanns III., Heinrichs II., Günthers, Hermanns IV., und Heinrichs III., auch seiner beyden Töchter, die er mit der andern Gemahlinn gezeuget, dem Kloster Beutitz, vier Hufen im Felde zu Lizzene gelegen, geschenket. Jedoch mit der Bedingung, daß wenn die beyden Fräulein, (domicellae) vor dem zwölfften Jahre stürben, oder im Kloster nicht bleiben wollten, das Eigenthum derselben Güther wieder zurück fallen sollte, oder der Probst zu Beutitz sollte sie bezahlen, nachdem sie Meinher der Probst, Burcard II. und Günther Domherr zu Halberstadt taxiren würden. Der Brief nach dem Original davon, lautet also:

Vniversis Christi fidelibus, hanc literam inspecturis *Hermannus* Dei Gracia *Burggravius in novo Castro* in vero salutari salutem. Cum processu temporis humanorum noticia gestorum penitus evanescat, necesse est igitur eis, scripture testimonio subveniri. Nos vero universis tam presentis temporis, quam futuri, cupimus esse notum, quod de consensu et voluntate filiorum nostrorum, *Meinheri*, Prepositi Nuenburgensis, *Burchardi*,

s) Dipl. ibid. p. 76.

chardi, *Hermanni*, *Henrici*, *Guntheri*, *Hermanni*, *Henrici*, cum duabus filiabus noſtris, illis videlicet, quas habemus cum ſecunda noſtra uxore de noſtra proprietate quattuor manſos, ſitos in campo *Lizzene*, iſtos ſcilicet allodium, quod fuerat *Ottonis Sagittarii*, quod habet duos manſos, et dimidium vel plus, cum curia et arcis, et omnibus, que attinent exceptis lingnis, et manſum et dimidium, qui fuerant *Reinbodonis de Lizzene*, dedimus eccleſie in *Butitz*, in perpetuum poſſidendos, tali videlicet condicione intercluſa, quodſi prefate domicelle ante annum duodecimum deceſſerint, vel ſi ad annos iam dictos pervenerint, et in clauſtro permanere noluerint, prefata proprietas cum ipſis redeant, vel Prepoſitus et conventus ejusdem eccleſie in *Butitz*, ſecundum eſtimacionem filiorum noſtrorum, *Meinheri*, Prepoſiti, *Burchardi* et *Guntheri* Canonici Halberſtadienſis redimant cum pecunia. Item ſi una iſtarum filiarum noſtrarum ante annum duodecimum deceſſerint, aliam ſi habuerimus, in eundem locabimus locum, ſi noſtre placuerit voluntati. Ne ergo inpoſterum de hujusmodi factis aliquod dubium valeat ſuboriri, preſentem literam noſtri ſigilli et filiorum noſtrorum munimine, duximus roborandam. Huius rei teſtes ſunt predicti filii noſtri, Prepoſitus *Wernherus* de *Lizzene*, *Heinricus* plebanus de *Lobede*, *Heinricus* plebanus de *Wildowe*, *Heinricus* et *Conradus* fratres de *Stolzenhain*, *Otto* de *Lizzene*, *Conradus* de *Rode*, *Heidenricus Wolveſmul*, *Albertus* de *Queſiz*, et filius ſuus *Petrus*, *Alboldus* de *Stolzenhain*, *Fridericus Wolverami*, *Hennius* dictus *Roſt*, et alii quam plures.

res. Acta sunt hec in *Ostervelt*, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, sexto Jdus Julii. Jtem si una istarum decesserit, vel ante annum duodecimum Claustrum exierit, medietas proprietatis cum ipsa redibit.

§. 7.

Meinherus.

